



HISTORIA
Pontificatûs
GREGORII XIII.
SUMMI PONTIFICIS.

AUTHORE

P. IGNATIO BOMPLANO
SOC. JESU.

Post Editionem Romanam
PRIMA IN GERMANIA.


Cum Grat. & Privil. Sac. Cæs. Majest.
Et facultate Superiorum.




DILINGÆ,
Typis JOANN. CASPARI BENCARD,
Bibliopolæ Academici.
Per JOANNEM FEDERLE.

Anno M. DC. LXXXV.





Goswinus Nickel Soc. JESU
Præpositus Generalis.

CVm Historiam Pontificatus Summi Pontificis Gregorij XIII. à P. Ignatio Bomplano, nostræ Societatis Sacerdote conscriptam, aliquot ejusdem Societatis Religiosi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestatem facimus, ut typis mandetur, si ijs, ad quos pertinet, ita videbitur, cujus rei gratia has literas, manu nostra subscriptas, Sigillóque nostro munitas damus. Romæ 7. Augusti 1654.

Gosvvinus Nickel.

Imprimatur, si videbitur Reveren-
diss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.

M. Anania Episc Sutr.
& Nep. Vicesgerens.

Imprimatur.

F. Dominicus Manettus Re-
verendiss. P. Mag. Sac.
Pal. Apost. Socius.

PRÆ-



PRÆLUDIA AD PONTIFICATUM GREGORII XIII.

Ejusdem Natales, ſtudia, munera, & res tum ante, tum in Cardinalatu, ab eodem geſtæ.



ORTALES omnes ea oportet, agrere, quibus increſcat ſua cuique magnitudo; Nam ideò ex lege naturæ infantes orimur, ac modici: ut paulatim animo augeamur non minùs quàm corpore; per artus nimirum & lineamenta corpus increſcit, animus per bonas artes. At pleríque non tam evadunt magni, quàm mali; dum opibus, honoribus, pravíſque conſilijs nituntur; quippe ambitione ducti, præſtare volunt fortunâ: & haben-

tur infra cæteros, quòd virtute non præstant, quâ solâ superamus. Et sanè fortuna non est magnitudo, sed umbra magnitudinis, quâ polet animus. Quod cognoscere licet in Romanâ, hoc est in principe Christiani Orbis Aulâ, ubi excellere creduntur, ac supremæ propiùs accedere dignitati, qui probæ, doctæq; mentis viribus ad magnitudinem grassantur. Contrà verò qui affectu, & industriâ iniquiore aucupantur incrementa, miseriores censentur, quò majores. Verùm hæc perpendere, alijs in promptu sit, mihi pronum est hisce abstinere, aque illa potiùs facta gestit animus promere, quibus in aperto positis, haud difficulter quisque intelliget, veram optimi Civis, Principisque magnitudinem & obtineri probitate, sapientiæ immistâ, & obtentam sustineri æquitate animi, nulli servientis rei, nisi justitiæ. Quinimò vehementiùs in id consilij feror, quòd Summus Pontifex non minùs Civium lex est, quàm Principium; Neque mihi observatur Pontificis forma omnibus absolutior partibus, quàm Tertij decimi Gregorij Pontificatus, non modò quia exhibuit omnia

omnia Virtutum officia, operáque, quibus eminere, par est Romanum Antistitem; sed etiam inciderunt tempora tam varia, & perplexa: ut nosse, quàm sapienter se gesserit is Pontifex, publicæ intersit rei, de qua nemo moretur meliùs, quàm Princeps sapiens & justus. Sed antequam hunc describam, operæpretium & erit primùm cognoscere Gregorij originem, & reliqua veluti summæ dignitatis rudimenta.

Gregorius igitur anno ab instaurata salute 1502. vij. Idus Febr. natus est Bononiæ, quæ Urbs, & opulentiâ ditionis, & splendore Civiũ, & studijs literarum, in Italia summopere floret. Mater illi Angela Mareschalca, honesta in primis mulier, & nobilis: Pater verò Christophorus Boncompagnus, & Avus Jacobus, qui publicis Virtutum meritis familiam satis veterem, & claram egregiè illustrârunt, Jacobi certè quanta fuerit apud Cives gratia, & existimatio ex eo comperimus, quòd Bononiâ depulsis Bentivolis, ipsi inter paucissimos cura demandata fuerit Urbis tuendæ. *Vgonis* nomen ab infantia tulit, retinuítque usque ad Pontificatum;

indole præditus perquam ambili, & sapientiæ idoneâ. Inde pietatis artibus, & scientiæ cupiditate flagrans, brevì semina jecit accessuræ magnitudinis. Primâ, & humaniore imbutus literaturâ, se contulit ad Juris doctrinam, quàm sibi per constantem laborem, & ingenio excellens præ cæteris comparavit eâ omnium commendatione; ut quamvis adolescentior, in Bononiensi Gymnasio, quod naturæ sapientiæ theatrum est, ejusdem interpres Juris fuerit renunciatus. Quo in munere quinquennium accuratè versatus, facilem sibi ad honores aditum aperuit, ingenij solertiâ, & morum sinceritate famam promeritus, & benevolentiam.

Quippe Petrus Paulus Parisius gravissimus Jurisconsultus, à Paulò III. inter Purpuratos cooptatus, Gregorium & amoris, & studiorum necessitudine sibi conjunctam accivit Romam, commendavítque Pontifici, qui accerrimus alioqui æstimator ingeniorum, vidit simul Gregorium, & probavit: eiusque operâ usus fuit, primum Judicem Capitolinum eum nominavit, mox inter eos delegit, qui ad utrum-

que

que Justitiæ, Gratiæque Tribunal, sententias ferunt, aut rogant.

Is certè causas tam religiosè cognovit, ut nemo non laudaret ejus vel ingenuitatem, vel diligentiam. Audire omnes incorruptè: nulli parti jactantiùs favere; nihil æquitati denegare: diù noctúque pro Veritate agere, nec metu sollicitus, nec ambitione; sed gratus omnibus, nemini adversus, par erat expectationi Urbis, & judicio Pontificis, cujus voluntas in Gregorium pronior erat, quò ille modestiæ retinentior: statímque indicavit oblatâ opportunitate, quanti eum faceret. Nam coacto Tridenti Concilio ad compescendas hæreses, morésque componendos, inter alia eximia Capita eò destinavit Boncompagnum; unde regressum Causis Civilibus præfecit palàm, ac sponte laudatum, quòd nescio quid magnum in hujusmodi Homine prospiceret.

Hanc de Gregorio Pauli III. prudentissimi Principis opinionem confirmavit Julius III. qui expetitam omnibus (ceu gradum ad purpuram) dignitatem, honoris ergo illi obtulit, quam tamen ipse re-

pudiavit; Atque id temporis tanta erat de Boncompagno ſpes, ut Julio Pontifice ſanctioris anni primordia celebrante, cum feſtivè, uti fit, in cætu clariſſimorum Virorum diſſereretur, quisnam eadem ſolemnia poſt quina luſtra inſtauraturus eſſet, confidenter Hieronymus Federicus, poſtea Laudenſis Epiſcopus, Boncompagnum nominaverit, non ſine præſagio; nam plerumque veri præſaga eſt fama, quam eximia quædam virtus ingenerat. Paulò pòſt à Cauſarum cognitionibus, ad regimen Urbium, populorúmque transducitur, & jubetur loco legati regere Latium, quod rexit amanter, ac quietè; non avidus alieni, ſed ſui profuſus: & gnarus, Provincias teneri amore, non metu, aut vi. Sublato Julio III. Vaticanum in ſolium evehitur Marcellus II. qui virtutum ac literarum amans, Romæ ac Tridenti Boncompagnum doctrinâ æque, ac virtute gratum complexus fuerat; ſed illi cum vitâ erepta eſt quoque ornandi Gregorij occaſio.

Poſt Marcellum Paulus IV. rerum ſacrarum potitur, à quo, ſublatis Provincia-

ciarum Legationibus, jussus est persistere in Latio regendo: nec Legati, sed Principis vices agere. Perfunctus regimine, ac inter eos Sanctissimos, & sapientissimos Viros delectus, qui faciunt, ne quid Labis Religio sentiat, adjungitur comes Carolo Carafæ in Gallias Legato, ut esset ei à consilijs, & libellis; atque inde Romam reversus, ob egregiam Carafæ navatam operam alijs cumulatur honoribus. Sed accidit in hoc æstu gratiæ, res memoratu digna, quæ magis accendit Pontificis benevolentiam, quò videbatur extinguere. Is ob susceptas Hispani Regis sibi infensi, ab Alexandro Sfortia studiosiùs, quàm vellet, partes, illum moverat gradu, cui statim admovit Boncompagnum, qui restitit constanter, maluítque parvo mediocriter, quam alieno (licet jubente Principe) splendidiè vivere. Quo facto non modò elusit pravè æstimantium judicia, sed suam Urbi tum integritatem, tum prudentiam approbavit: eo gloriæ propior, quò alienor à cupiditate. Interim proficiscitur cum eodem Carafa; qui à Pontifice legabatur in Belgium, ad Phi-

lippum Secundum, ut compositis jam rebus, pacem seu firmaret validiùs, seu ostentaret. E Belgio se Romam referens, agitatam eo tempore gravissimam quæstionem, mandante Paulo, expendit, invictus adversus potentiam, & gratiam. Renunciatur quoque Vestanus Episcopus: quam dignitatem sanctè suscepit, ad conscientiæ famæque præsidium: & mox cœpit Urbem sibi creditam sublevare, impensóque omni ex eâ proventu instauravit, ornavítque primarium templum; Imò cum reliqui Episcopi cogerentur ad sua redire, & ipse Romæ, ob communis Ecclesiæ commoda, detineretur à Pontifice; onus dignitatis cum censu dimisit, non aliâ de causâ, quàm quia non poterat per se sustinere: raro nihil appetentis, & verè religiosi animi exemplo.

Præterea destinatus est Nuntius ad Venetos, sed non missus, quòd electus fuerit ad Cameræ Apostolicæ negotia tractanda, quorum ratio à Pontifice immutata fuerat, & Alphonso Carafæ commissa, ut imminueret auctoritatem Guidonis Ascanij Sfortiæ Camerarij, ob Regis Hispani amicitiam,

citiam, adhuc invisi, & suspecti. Neque Boncompagnus discordias aluit, ingestis auctisque suspicionibus, sed iras & querelas lenire conatus, utrique placuit. Ergo miratus virtutem Paulus, majora præmia meditabatur, & jam descripserat *Vgonis* nomen, quamprimum in albo Purpuratorum notandum, nisi fato vetitus fuisset, ut Gregorij fortuna esset gratior, & grandior, quò tradior.

Succedente Pio IV. & conversa Aulæ fortunâ, omne Carafæ genus cum clientibus afflictum fuit. Et in primis Gregorio timendum erat, quòd gratus fuerat. Sed sempiterna est gratia, quam sola conciliat virtus. Itaque nihil sibi conscius, & nullâ præteriti temporis diffidentiâ, Pium adit: rerum à se gestarum rationem reddere paratus, ac pænas dare, si peccasset. Subrisit ad hæc Pontifex, aitque, se ejus inocentiæ certum, velle hoc unum, ut pergeret rei publicæ studere, susceptisque honoribus fungeretur. Et mox eum adiecit consilijs Caroli Boromæi, Viri obsanctimoniam vitæ inter Divos relati, penes quem omnes Pontificiæ ditionis curæ

ræ versabantur; eóque vetito aliquid exequi, Boncompagno inconsulto, nihil & ipse postremò approbabat, nisi comperto, quid ille sentiret. Usque adeò semper & apud omnes in pretio est sincera prudentia. Non tamen in hac aulæ varietate immemor fuit Gentis Carafæ, more multorum, qui præsentia observant; sed eam inter adversa coluit magis: nec magnitudo periculi terruit, quem amplitudo beneficij ad amorem stimulabat; atque inter alios Alphonsum Carafam Archiepiscopum Neapolitanum, & Purpuratum, non minùs domesticæ rei, quàm carceris angustijs pressum, sex donatis nummorum millibus, quæ ex munere aulico divendito collegerat, ad redimendam pœnam, juvit, aliósque exemplo incitavit, ut juvarent; aula non fastidiente, nec Pontifice indignante; sed omnibus admirantibus grati animi constantiam, quæ nesciebat fortunæ discrimina.

Solemne Romano Pontifici est, cùm Religio scelere Principum, factione Sectariorum, pravis Sacerdotum moribus, aut dissensione, aliísque causis periclitatur,

Cæ-

Cætus instituere, in quibus collecto Christiani Orbis flore, omniúmq; auditâ, sententiâ remedia errorum deliberantur, & quid è re publica sit in posterum faciendũ, sentiendúmque, palàm sancitur. Itaque Paulus III. cùm omnia Lutheri causâ turbata essent, hujusmodi Cætum indixit Tridentum, quò Boncompagnum, & alios destinavit. Sed conventum ob difficultates Tridenti solutum, deinde restitutum Bononiæ, demum omnino intermissum, Pius IV. omni ope contendit ad exitum perducere, ne remedium in exitium verteretur. Igitur Boncompagnum, qui sacra Canonum eruditione, rerúmque experientiâ pollebat, Tridentum remisit tanta cum auctoritate, ut Legati, qui Pontificis nomine Concilio præerant, sine illius operâ, & assensu agitarent nihil. Biennium ibi mansit, non modò cum abstinentiæ laude: utpote qui reiecerat oblata à Pontifice pecuniæ subsidia, quæ alij procurabant: & contentus modico, innotescebat virtute, non pompâ; sed etiam summâ cum diligentiæ famâ. Certâ allatâ in medium gravissima difficultate: quo

sci-

scilicet jure suas Episcopi Sedes tenerent; cujus causâ Nationes inter sese altercabantur, & sacrosanctus Cætus scindebatur in partes, non sine gravioris periculi metu; nulla visa est opportunior componendæ dissensionis ratio, quàm omnia Carolo Lotharingo, & Ugoni Boncompagno disceptationis argumenta tradere, quorum in verba sancito decreto, quies demum Concilio, & finis fuit. Atque hic advertere lubet DEI Providentiam, Gregorium non casu Tridentum destinantis: sed, ut ibi cognosceret Ecclesiæ incommoda, pericula Nationum, quibus Pontifex futurus consuleret.

Boncompagnum è Concilio redeuntem aliis honoribus Pius excepit, ac demum 4. Id. Mart. sacrâ D. Gregorio die, purpurâ donavit; addito illo elogio: *Hic est, in quo dolus inventus non est.* Censuêre plerique, hanc purpuram haud honorem, sed gradum ad summum honorem, cui par, ac necessarius videbatur, omnium consensu: at nullo ipse fastu, spe nulla intumescebat; arbitratus, hoc additamentum gloriæ, incitamentum quidem esse probitatis, sed decrementum ambi-

tionis: certabant in eo pietas in DEUM, & humanitas in homines; verborum ac morum integritas: moderatè ſimul & magnificè agere: inſtruere familiam probam magis & gravem, quàm numeroſam: Et quamvis re domeſticâ minimè affluebat, nihil ſordidè ac infra gradum meditari; nec avaritiâ, alióve ſtudio in factiones Principum trahi: uni Eccleſiæ, ore animóque libero, ſervire, adeóque inerat illi plus dignitatis, minus invidiæ. Hac magnitudine animi admontius Pontifex, graviori eum negotio applicuit, in quo Apoſtolicæ cardo rei vertebatur.

Bartholomæus Caranza, Archiepiſcopus Toletanus, dum ſcripta Hæreticorum evolvit, eàque incautiùs, quàm par erat; & ambiguè in margine interpretatur; vocatus in ſuſpicionem fuit affectatæ hæreſis. Ergo Hiſpania novitate rei attonita, ob ſpectatam Viri tum pietatem, tum doctrinam: ſparsâ præſertim opinione; id fieri accuſatione Nonnullorum opulento Sacerdotio inhiantium: Et Pontifex veritus, ne Hiſpanus Rex nimium auctoritatis aut ſibi, aut alijs tribueret; Boncompagnum duo-

duobus antè mensibus Purpurâ exornatum, in Hispaniam legavit, cum imperio, & potestate, ut causam cognosceret, ac de ea statueret, illustravítque Legationem comitatu insignium Virorum, & præsertim Jo. Baptistæ Castanei, Felicis Peretti, Jo. Aldobrandini, ac Stephani è Familia Servorum M. V. quorum duo ad Pontificatum, alij ad purpuram evecti postea fuerunt, quasi tam illustris Virorum Corona indicaret Gregorij Majestatem. Plura in hac legatione acciderunt, quæ fidem Gregorij erga Ecclesiam prodiderunt. Cùm enim aditurus Regem Matritum, didicisset ex Duce Albæ, Regiæ domûs Præfecto, haud illi Regem ex more fore obvium, quippe ad Regem non legebatur; Respondit impavidus, Malle se retrò cedere; quo responso plusquam Regio audito, Rex statim obviam ad duo millia passuum processit; comitantibus Carolo filio, Rodulpho & Ernesto Austriacis, ac etiam Joanne Fratre cum reliquâ nobiliore Aulâ: ivítque Gregorius medius inter Philippum Secundum, & Alexandrum Cribellum, Nuntium Pontificium, jam

Pur-

Purpuratum. Postea cum Regem retulisset arcana Legationis, & Rex vellet quosdam nominare, qui non tam delibe-rarent in causa, quàm judicarent; restitit ipse; urgentíque Regi ijs verbis: Quid si Pontifex consentiat? Resistam, inquit, vel Pontifice assentiente; nec propterea ejus iram verebor: quia Pontifex non nisi jure acta probat.

Quin etiam eo temporis intervallo, quo Caranzæ causam, ob injectas difficultates, non attigit, nihil planè ulli, quamvis rogatus à Principibus, impertitus est per eam potestatem, quæ Legatis conceditur, ex quo summam auri vim collegisset, confidenter testatus, nolle se alia præstare, omissâ re, cujus gratiâ advenerat.

Quibus Constantiæ, ac integritatis argumentis commotus Philippus, exarsit vehementiùs in Boncompagnum, non irâ, quòd obsisteret; sed amore ac reverentiâ, quòd esset dignus, quem Philippus amaret, quia Philippum non timebat. Et revereri solebat maximus hic Rex eos, qui Apostolicam auctoritatem tuentes, nec

odia

odia Principum verebantur, nec gratiam amabant.

Interim nunciatio Pij IV. obitu, cogitur & causam, & Hispaniam desere, ac etiam repudiato, quod liberaliter Rex offerebat, viatico: ne conscientiam liberatis violaret, aut famam integritatis minueret, properavit ad Pontificia Comitia, in quibus, nî absfuisset, primas erat laturus, multorum opinione; Æmuli certè, ut spem obtinendæ dignitatis illi eriperent, vitam falsò eripuêre, evulgatâ mendaciter famâ, Boncompagnum occubuisse. Sed æmulatio seu invidia differt, non aufert honores: neque fautores Gregorij hæc inania rumorum graviter tulerunt, solliciti, ne absentiæ magis quàm mortis fama obesset; sed in alia comitia Boncompagni spe destinatâ, conspirârunt in decus Miachaëlis Ghislerij, qui Pius V. dictus est, nomine dignus, & munere. Genuam ex itinere se Legatus receperat, cùm redditis à novo Pontifice literis jubetur Hispanias, rem confecturus repetere; sed enarratis difficultatibus, sinitur Romam ire:

Ubi

Ubi Romam accessit, fructum sensit bonæ famæ, quam legatione assecutus fuerat, exceptus omnium plausu, etiam eorum, quibus ignotus erat. Statímque perrexit ad Pium salutandum, venerandúmque, qui nescius adulandi, viso illo exclamavit, se Boncompagni locum tenere. tantam sibi Gregorius apud omnes opinionem, ac reverentiam sui paraverat. Verùm fractis ætate viribus, & corpore itineribus, laboribus, curis attrito, graviorem in morbum incidit, anxijs omnibus Bonis. Quo tandem exolutus, ac viribus confirmatis, aulica negotia, Purpurati hominis propria aggressus est. Non illum domesticæ rei augendæ, seu fortunæ splendidioris amor incessit; sed instabat modestiæ, cautus adversus munera, præsertim Regum, quibus gratificari, non servire, fas ducebat. Nec unquam, nisi coactus imperio Pontificis, adduci potuit, ut quâ ornabatur ab Hispano, annuæ mille aureorum liberalitati consentiret. Unde aderat illi oratio plena fidei, & sermo ad solam veritatem compositus: nulli offensus, quia nulli addictus: & ab ipso discre-

babat

babat Pontifice, cùm is quamquam ſervantiſſimus æqui, vel acriùs inſurgeret, vel faciliùs indulgeret. Quam animi excelſitatem tunc maximè præferebat, cùm Eccleſiæ jura, quibus explorandis, tuendíſque præfectus fuerat, in diſcrimen vocabantur. Et rogatus aliquando à Cæſare Speciano, ut pro perſona, quam ſuſtinebat, conceſſum à Pontifice diploma, ſubſcriptione aſſereret, renuit ſemper ſubſcribere, licet Pontifex ipſe ſubſcripſiſſet; quippe eo diplomate jus Eccleſiæ imminutum iri cenſebat. Et Pontifex quamquã initio paululùm commovebatur, mox commendabat; quòd adverſaretur non fuco calliditatis, aut ſpecie contentionis, ſed veritatis ſtudio, & genio prudentiæ, juſtâ, & rectâ ſuadentis. Prodidit etiam argumenta non levis benevolentiæ, dum honoribus illum auxit in aulâ & conſanguineos Boboniæ; quam in Urbem profectus fuit hoc anno Gregorius neceſſitate potiùs, quàm ad ſolatium: & perfectâ, quam Parens inchoarat, magnificâ domo, quaſi rudimento grandium operum, quæ paulò pòſt ubique terrarum Religioni, ac bonis

nis Artibus excitaturus erat, Romam remeavit, animúmque appulit ad regnoſcenda Pontificum Decreta, à Gratiano collecta, quem in laborem olim à Pio IV. ſibi impoſitum, dum naviter incumbit, majorem illi fortunam extruxit DEUS, Pio V. extincto.

Celebratis Pij novendialibus, Patres vix Comitia ingreſſi, quamquam & alij plures adeſſent patres dignitati, adeóque iretur difficiliùs in unius ſuffragia; miro conſenſu in Boncompagnum feruntur. Et ſanè pronam omnium voluntatem extimulaverat recens ejus integritatis exemplum. Si quidem Alexandro Farneſio conſilium de re petenti, quâ non leviter Michaëlem Bonellum offendiſſet, ſuaſit nequid eum offenderet; etſi alijs potiùs Bonellus, quàm Boncompagno faveret, ac facilè abſtractum Bonello Farneſium ad ſe pertraxiſſet: quo evulgato, palàm innotuit, dignum eſſe principatu, qui principatui anteponebat honeſtatem.

HISTO-

HISTORIA
Pontificatûs
GREGORII XIII.

CAP. I.

Creatur Pontifex.

ITaque Patres tertiâ Comitiorum die, 3. Id. Majas, ad annum fundatæ salutis 1572. *Vgonem Boncompagnum* acclamarunt Pontficem, quem Providentia, & nuntia Providentiæ fama jam elegerant. Is acclamatus, adoptavit Gregorij XIII. nomen: & in cessu, benignitate, pacísque amore patuit Pontifex. Munimenta prope Bononiam à Pio V. extructa, deijici statim jussit; nequid Bononia, vel Italia timeret: Egregios, ac peritos viros ijs præsertim muneribus admovit, quibus constat Pontificis Majestas; vim ingentem pecuniæ, quæ solet id temporis per lætitiam & pompam effundi, auctam transtulit ad subsidia paupertatis: compositáque domo pontificiâ, Ecclesiam componendam, & personam Pontificis cum

cum amore ſimul ac majeſtate ſuſtinendam, conſtanter ſeſe impendit, nec alijs ſtudijs ſe permiſit, quàm Apoſtolicæ charitatis & vigilantiæ.

CAPUT II.

Eccleſiæ Status hoc tempore.

ANnum Gregorius agebat ſeptuageſimum, & difficillima nactus fuit Eccleſiæ tempora, ſeu Barbarorum inſolentiâ, ſeu artibus Hæreticorum, ſeu etiam iniquis Catholicorum mentibus: Americâ, & magnâ terrarum parte obnoxiâ erroribus, vel pijs deſtitutâ auxilijs: Hiſpaniâ Belgicis turbis incertâ: Luſitaniâ clade Principis perturbatâ: Poloniâ novi Regis ambiguâ, & in partes à Sectarijs diſtractâ: Angliâ ob Reginæ ſcelus in Bonos furente: Germaniâ novis in dies tumultibus, acribúſque Proteſtantium odijs convulsâ: Galliâ diſcorde: & utrâque timente, ne Religio & Principes precariò regnarent: ipsâ demum Religionis ſede, Italiâ, quà Principum factionibus, quà ſuſpicionibus, nec ſibi ſatis, nec Romano Pon-

tifici fidente. Præterea Othomannicus impetus adhuc prævalidus: debilitatum Christianorum fœdus; Sacerdotum & sacrorum hominum imminuta auctoritas: Tridentinæ leges vel non servatæ, vel rejectæ: Morum ubique licentia liberior, aliáque ejus animum angebant quidem, non tamen frangebant; & gnarus, esse faciliora DEO, quæ hominibus difficiliora videntur, tempora quò magis terrebant, minùs timebat.

CAP. III.

Gregorij Consilia in Pontificatu.

ERgo advocato Patrum Senatu, primùm contacto pectore juravit in Pij V. diploma, de bonis Ecclesiæ nec clientelâ, nec alienatione abstrahendis: mox gratijs actis, aperuit Apostolicæ arcana dominationis, & futuri consilia Imperij, quibus, etsi imparem, non tamen iniquam operam se daturum, modestiâ & gravitate paratus spondit: has esse pontificias curas, quibus & ipse gloriam adipisci vel-

vellet: Omnia ad rei felicitatem publicæ referre: Pietatem & Catholicam Religionem ubique ſerere, & colere, ac Religionis tribunal religioſe habere: Principes, Populósque conciliare: Conciliorum conſulta, & præſertim Tridentina commendare Urbibus, ac Regibus: vim Apoſtolicæ Auctoritatis ubique retinere, dépue eâ optimè merentes exornare: Romanæ Eccleſiæ ærarium vel cuſtodire, ne exhauriretur, vel exhauſtum locupletare: negotijs publicis pares homines commodare, non ſcelere, aut affectu ſuſpectos extollere: Provincias Terrarum oneribus, erroribúsque ſublevare: Concitatum in Hoſtes fidei Chriſtianorum ardorem fovere: Sapientiam, & bonas alere artes, quibus contemptis contemuntur & boni mores: Paci demum, ac Juſtitiæ, rerúmque omnium incrementis ſtudere, quibus & Majeſtas Pontificis retinetur, & quies Populorum firmatur, & Eccleſia Romana eſfloreſcit, quòd non intuta, neque contempta.

C a p. IV.

Res gestæ initio Pontificatûs.

HÆc Gregorij fortiter, ac suaviter principatum auspicantis voluntas rebus gestis comprobata fuit. Siquidem ad omnia vertit mentem, quæ Religioni ac Reipublicæ utilia, & de cora videbantur. Sancita de Tridentinâ Synodo ab Antecessore Pio adfirmavit: Michaëli Medinæ, ac Petro Fontidonio, ut violatam à Magdeburgensibus Impostoribus Catholicam veritatem, graviter & doctè, non per convicia vindicarent, animos, virésque addidit: designavit ex Purpuratis nonnullos, qui librorum Indicem, quorum lectiône interdictum est, jam inchoatum perficerent: Carolum Boromæum, Gabrielem Palæotum, Joannem Aldobrandinum, Paulum Aretium, elegit, ad prava consuetudinum semina seriò abolenda: Obnuntiavit Episcopis, ne ab Ovibus abessent; ac etiam Purpuratis: Cæsarem, Regémque Gallorum sollicitè monuit, ut vacuis sedibus idoneos Antistites designarent,

rent, eósque reijcerent, qui vel ignaro Pontifice, vel non recitatâ fidei formulâ, ſacris præeſſe auderent: Paſtoribus Eccleſiarum mandavit, ne homines imperitos, aut famoſos ſacris miniſterijs, Myſteriisque imbuerent: Ab Hiſpanis popoſcit clarorum virorum nomina, quibus Sacerdotia demandaret, non caſu, aut fraude, ſed gratiâ & præmio Virtutis: Conſanguineos nec ſprevit, nec nimiùm extulit; ſed, inſigni optimæ dominationis documento, maluit Suos regi: & per ſeſe rexit, exploravitque omnia, eorum adiutus ope, qui præſtarent induſtriâ, prudentiâ, fide; nec niſi rogatus à Senatu; & ne potentiæ nervos alienis crederet, Philippum Boncompagnum jam laureâ Juris conſpicuum, ad purpuram evocavit. Præterea vetuit quemque per dona, & avaritiam capeſſere Magiſtratûs, eósque repenſo pretio redemit, qui fuerant venales, & in quibus de Fiſco cognoſcebatur, ne uſurparentur avidius, quàm juſtiùs; vini ac ſuillæ vectigalia ſuſtulit: Provinciarum, & Urbium, ac etiam Tribunalium clariſſimos quosque Præſides, & Adminiſtros

ſtros quà conſtituit, quà retinuit; Demum ſingulis Hebdomadis diem præſtituit, quo publicè cujuſcumque generis homines audiret, atque Aulam in officio contineret; unde metus improbis fuit, & ſpes probis, & minùs peccabatur, quò faciliùs peccata Princeps noſcebat.

CAP. V.

Promovet Chriſtianorum fœdus In Turcas.

MOx renovato Chriſtiani fœderis, quod in Othomanos à Pio V. inter Hiſpanos, Venetos, & Pontificem firmatum fuerat, ardentiore ſtudio ſollicitavit Reges ac Principes, ac ipſum Cæſarem, Polonum, & Gallorum Regem, ut ne deeſſent Chriſtianæ rei, neu ſpem Eccleſiæ fraudarent; miſitque in Galliam, Antonium MariāSaluiatum, rei maritimæ ſcientem, ut propiùs expeditioni conſuleretur, ac Meſſanam Paulum Odeſchalcum, qui ſolventi Claſſi nomine Pontificis bene precaretur. Hæc dum parantur, ab Hiſpano literæ perferuntur, quibus diſertè ſigni-

ſignificat, ſe ob hoſtilia Gallorum tentamenta, aliàsve cauſas, haud poſſe aliò ſuas vires diſtrahere, ne domi foret inermis ac vulneri proximus. Exarſit ad hæc Gregorius eò acerbiùs, quò res accidit inexpectatior, ſtatimque monito Gallo, ut deſiſteret, ſi quid moliebatur, ne ab hæreticis offenderetur, dum offendit; vehementiùs egit cum Rege Philippo, ut memor promiſſi, vanâ formidine abſtineret: nec privatis commodis rei ſalutem publicæ poſt haberet; poſſe Othomanos, ni arceantur, in ipſum Hiſpanæ Potentiæ corpus inſoleſcere, & fruſtra eos ab Italiâ depelli, ni extra Italiam depellantur. Tantùmque apud Philippum Gregorius valuit, ut quamvis obſiſterent, qui à conſilijs erant, is Ioannem Auſtriacum juſſerit cum toto Hiſpanico apparatu in Orientem pergere. Sed victoriam abrupit diſcordia; unde mora, & ex mora conſumpto Noſtrorum commeatu, & auctis hoſtium animis, neceſſe fuit Noſtris vel invitis retrò vela, & vota vertere: peſſimo exemplo; nihil magis prodeſſe Othomanis, quàm Chriſtianorum diſcordiam.

Indoluit ex animo Gregorius, ubi paratam victoriam evanuisse comperit: neque tamen incæpto destitit: & conatus ortas suspiciones tollere, tantum apud Fæderatos præstitit labore immenso, studióque increbili, ut ad annum proximum Classis instructior & potentior appareretur, quæ Trecentis Triremibus, aliísque Navibus, & septuaginta militum millibus constabat. Imò iterum Cæsarem, Gallum, aliósque, ac etiam per certos homines Persarum Regem, ad bellum Othomanis inferendum incitavit, ut divisa in plures hostes potentia faciliùs vinceretur. Summa erat Gentis Christianæ, ac ipsius Gregorij spes; verùm misso Pompeio Lanoia, dum Joaunem Austiiacum perpellit, ut ad diem dictam, seu Aprili vertente, seu Majo ineunte, portu discedat, certior fit ab Oratore Veneto, pacem inter Venetos ac Othomanum esse confectam; quippe illi timuere ex Hispanorum morâ, ne producto in dies bello, adeóque viribus omnino debilitati, magis ab Hispano penderent, quàm ab Othomano metuebant. Atque ita totius Ecclesiæ

ſiæ ſuſpiriis, viribúſque armata Gregorij Mens, voto, & victoriâ excidit, non conſtantiâ, quæ loco victoriæ eſt; ſublatâ in poſterum omni ſpe inſtaurandi fœderis, tum exortâ diffidentiâ, tum Hæreticis bella ex bellis ſerentibus, quibus graviùs reſiſtitur, quam Barbaris. Niſi malumus hæc referre ad Providentiam, quæ vota belli tranſtulit ad Pacis artes, quibus Generi humano Gregorius profuit citra cruorem innocentiùs & perenniùs.

Cap. VI.

Studium juvandæ Galliæ.

NOn minore curâ tangebatur Gregorius, rerum Gallicarum, quæ factione, & aſtu Gaſparis Colinij, ad hæreticos in dies validiùs inclinabantur, quòd Rex ipſe deſponsâ Regi Navarræ ſorore, adminicula præbere, ac in ſpem occupandi Belgij erectus, eorum auxilijs quodammodo indigere videbatur; quamquam hæc in ſpeciem acta. Igitur Carolus Lotharingus conſcius Pontificiæ ſollicitudinis, Gregorium adit, eúmque percontatus,

tus, quid potissimum id temporis vellet: illo subjiciente, Ut Hæretici Galliâ exterminarentur; narravit Coliniij,& Asseclarum cædem, quæ hoc pacto peracta fuit. Cùm is de Regiâ pedem efferet, ex improviso petitus est sclopo de fenestrâ pannis coopertâ, & quo authore, incertus, per impatientiam & superbiam, jactísque in vulgus vocibus, irascebatur cum Suis Regi, qui compertâ hæreticorum immodicâ irâ, maluit ulcisci, quàm connivere, & immissis militibus opposuit furori severitatem. Quæ res uti Catholicæ Religioni sublevandæ opportuna, ita maximè jucunda Gregorio accidit; qui statim, indictâ omnibus hac de causa, noxarum veniâ publicè cum insigni Romanæ Nobilitatis coronâ, de D. Ludovici, quod est illustre Romæ Gallorum Templum, solemnes Deo grates egit. Auxere ejus lætitiam Henrici, & Principis Condæi literæ, quibus ut in fidem Romanæ Ecclesiæ reciperentur, postulabant: iísque annuit libentissimè. Insuper Carolo Regi suasit, ne Othomanicam in Aulam Oratorem mitteret, qui consilia pacis Othomano

mano insinuaret; & quem præmiserat, abduceret hominem incertarum partium, Colinij studiosum eóque infensum: neu amicitiâ, & consuetudine uteretur eorum, qui ad ambitionem suásque fortunas, non ad Rempublicam parati essent: sed potiùs regijs moribus insisteret, & digna Christianissimo Rege moliretur. Atque ut in hæc propelleret; ad eum quamvis invitum, legavit Flavium Ursinum Purpuratum, notæ nobilitatis, & prudentiæ; censuítque è Majestate Pontificis esse, nihil paternæ curæ prætermittere, ne dissimulata mala forent insanabilia. Nam plerumque dissimulatio corrumpit Regna.

Cap. VII.

Suscipit obsequia Principum.

VErùm jam ubique Gentium vulgatâ Gregorij famâ, & virtute, certatum est gratulationibus, & reverentiâ. Cæsar, & Reges, tum Veneti, Lucenses, alijque Romano debita Pontifici venerationis obsequia per Oratores detulerunt, & in primis Bononieses erga optimum Civem, déque patria statim benemeritum, quà

cusis Numismatis quà excitatâ æreâ statuâ, quà legatis nobilissimis Viris, gratam voluntatem significavêre, quam novo beneficio rependit Gregorius, instituto apud eos Concordiæ Magistratu, ad quem omnes Civium controversiæ ita devocarentur, ut Nemini liceret subire forum, eo non decernente: unde fori minor tabes, nec tantum in Advocatorum seu ignaviâ, seu perfidiâ pretium, Accessêre quoque Romam insignes Italiæ Principes, Octavius Farnesius, Gulielmus Gonzaga, Alphonsus Atestinus, sed ortâ offensione ob consessum in sacello pontificio, sibi (ut rebantur) imparem, publico se conspectui subtraxêre Mantuanus, & Ferrariensis: quamquam hic Gregorium privata allocutione veneratus, & ab eo mensâ humaniter exceptus. Emanuel Philibertus Sabaudus etsi avidus Pontificij oris visendi, magnificè per Philippum Atestinum Generum rem transegit, impetravítque, ut Ordo S. Michaelis, nuper ab ipso institutus, confirmaretur auctoritate Pontificâ; eíque præficeretur perenni serie Sabaudiæ Dux; adeó-
que

que nobilior esset acfirmior Ordo, quò Princeps excellentior.

CAP. VIII.

Sedat Controversias, & Discordias.

INter primas Dominantium curas, Gregorius censuit esse Pacis amorem, ac dulcedinem Otij non indecoram, quâ Cives Principibus, atque ipsi inter se Principes, & Civibus Cives conjungerentnr. Quippe Religio publicæ magis, quâm privatæ dignitatis incremento, nobilitatur: ac privata dignitas ferè divisis, publica conjunctis rebus animísque excellit. Idcirco sustulit cuncta, quibus discordiæ incedebantur: satiúsque duxit paucos, quàm Rempublicam offendere. Dedit operam, ut Scipio Gonzaga, postea Purpuratus, & Gulielmus Mantuæ Dux, litem gravissimam dirimerent æquis conditionibus: Alphonsum Ferrariæ Ducem de finibus, aliísque rebus, cum Apostolicæ Cameræ Administris disceptantem, datis arbitris conciliatum voluit.

Imminentem Italiæ ex Petiliani adversus Nicolaum Ursinum tumultu, belli flammam restinxit citius, quàm alimenta suppeditarent novarum rerum cupidi: Philibertum Sabaudiæ Ducem absterruit ab Edicto, quò Ecclesiæ forum offendebatur; Effecit, ut Veneti Mercatoribus Mare Adriaticum navigantibus desisterent negotium facessere: Dolanum Magistratum, quem Parlamentum vocant, interpositâ Cæsaris & Regis Hispani voluntate eò adduxit, ut Archiepiscopo & Catholicis Vesontione ablatam, sive auctoritatis, sive Religionis libertatem restituerent. Sed præcipuè in sedando Urbinatium motu effulsit Gregorij prudentia, fraudis, & ambitionis expers. Guidobaldus à Ruvere Urbini Dux, quò Francisci Mariæ filij tum in Aula Hispana, tum in Classe Christiana fortunam splendidiùs aleret, nova imposuit tributa; unde Urbium ira, & questus, & demum seditio; Ad Gregorium Cives lamenta, & Principatum deferunt; Verùm ille nec avidus alienarum rerum, nec offensionum amator, eos vehementer increpuit,

&

& reiectis querelis, aclegatis, ſeditionem coërcuit; Guidobaldum ſeveriùs redarguit, monuítque ſeriò, ne nova onera præciperet, ex quibus invidiam, non vires, & ſæpè exitium Princeps ſibi parat. Illud etiam certamen, quod Hieroſolymitanos inter, ac S. Mauritij Equites graviter intendebatur, tum de Ordinum dignitate, tum ob utilitatem fructum ab Hieroſolimitanis interceptorum, prudenti conſilio avertit, nullius irâ, & damno. Neque unquam approbavit eorum calliditatem, qui fortunam partium ſpeculantes, malunt bella, quàm pacem. Ideóque Regum Principúmque Chriſtianorum lites componere, artem Pontificis propriam ratus, nihil omiſit, quo turbas, & diſcordias comprimeret, veluti ſemina publicæ infelicitatis, & Divinæ irritamenmenta ultionis. Et conatus inter Gallum, & Hiſpanum ſubortas identidem offenſionum, ſuſpicionúmque cauſas amovere, cenſuit aliquando è majeſtate eſſe, famam aſpernari, ne officeret publicæ paci, quâ invaleſcit fortuna Religionis.

CAP-

CAP. IX.

Ædificia publica.

ANimi Magnitudo ædificiorum præstantiâ ferè oblectatur, quasi quadam imagine sui. Certè Gregorius excelsam Indolem statim appulit ad egregia opera, quibus rem publicam fulciret pari sumptu, & utilitate. Primùm Aulæ Vaticanæ partem (quam Regiam nuncupant, quod Regum ibi legati audiantur) non modò suâ absolvit mole, sed illustribus instructam picturæ monumentis exornavit, specie plane regiâ. Mox omnia aggressus est reficere, quæ publicum decus & commodum afferebant; instauravítque, quicquid ruinam accepisset, vel minaretur: Pontem Senatorium vi temporis, fluminísque prolapsum, reparavit novis, & validis substructionibus, & Portam Cælimontanem lapide Tiburtino munivit: aperto ad Tusculanum agrum facili, & molli tramite. Cùm autem comperisset, Flaminiæ litora à Piratis circumveniri, Turrim ibi excitavit excelsam, cujus prospectus

ſpectus adverſus Piratas pro munimento eſt. Immò cùm Viatores plerique ad forum Livij aquis intumeſcentibus cederent, eorum conſuluit calamitati, extructo nobili ponte, quo nullum ab aqua periculum deinde fuit. Tantóque ardore in hæc molimina incubuit, ut ubique ferè terrarum, impreſſa videantur ædificiorum ab eo conditorum veſtigia. Nec ille Oppidi nobilitatem, ſed operis commoditatem perpendebat; Omitto Collegia Nationum, quæ Romæ omnibus patent; Romanum in primis Collegium, Societatis Jeſu Seminarium, & omnium diſciplinarum, linguarum, Gentiúmque Academiam, tam magnificè excitatum ut ſit inter primaria Romæ ædificia: Collegium Germanorum, & Hungarorum: Seminaria Anglorum, Græcorum, Maronitarum, & Neophytorum: Alia etiam Seminaria ubique terrarum poſita, Vienneſe, Dilingenſe, Auguſtanum, Branſpergenſe, Græcienſe, Pragenſe, Rhemenſe, Fuldenſe, Olomucenſe, Muſſipontanum, Claudiopolitanum, Vilnenſe, Arimaenſe, Auxuchixamenſe, ac Illyricum Lau-

Laureti; Præter alia loca Religionis Ordinibus constituta, seu templa fuerint, seu domicilia tam Virorum quàm Virginum. Cetera profectò, quæ tum Romæ, tum alibi construxit, instruxítque, vix erit numerare; siquidem incensus juvandi studio, quodcumque vel necessarium, vel utile publicæ rei compererat, citiùs perficiebat, quàm optabatur, superavítque vota populorum. Pietatem Gentis Christianæ ad Domum Lauretanam proficiscentis. extimulavit, Lauretano itinere pontibus semitísque constrato. Bonarum Artium studia propagavit Romanâ Academiâ amplificata. Romam ipsam nobilitavit, Vaticano Templo aris ornamentísque aucto, & præcipuè admirabili Sacello; quod Gregorianum vocant, cujus præstantiam & musivi operis excellentia, & ornamentorum artísque ingeniosa magnitudo promunt, Majestatum emulante gratiâ; in quo per summam magnificentiam, & pompam, Ossa D. Gregorij Nazianzeni, collocavit. Insuper eamdem Horreo ad Thermas Diocletiani instituto locupletavit, Aquâ etiam (uti vocant) Virgine adductâ, præclarísque fontibus

Vv recrea-

reparavit; ac præterea Vaticanum Palatium à tot Pontificibus paratum, exornatúmque novis & eximijs additamentis ita illuſtravit, ut certet cum pretio ſtupor, ars cum operis magnitudine, neque hic videatur unius ſed multorum labor. Aedes Pontificias in Quirinali Monte primus poſuit, & aëres ſalubritate, ac amænitate loci ſuccedentibus Pontificibus pergratas. Capitolium refecit, altiſſimâque mole excitatâ ſpectabilius reddidit, quò ſublimius. Si animus eſſet reliqua evolvere, forſan tædio forem ad majora feſtinantibus. Arcem ſanè Anconitanam prætermittere non licet, quæ Pontificiæ ditionis Cardo ad mare Adriaticum videtur; Hanc Gregorius novis circumduxit propugnaculis, inſtrumentíſque bellicis communitam, in eam ſpeciem formámque protendit, quæ hoſtibus terrori, alijs admirationi ſit. Nec oſtentabat Gregorius hæc monumenta inſtar captantis benevolentiam, aut famam, quam in virtute reponebat; ſed libenter gratificabatur Populis, ut vehementiùs Pietati, moribúſque probis ſtuderent. Nam plerumque conſtructa liberali-

liberaliter, ac magnificè à Principibus ædificia, firmamenta Urbium censentur.

CAP. X.

Studium liberalitatis in Omnes.

ROmani Pontifices apud iniquos rerum æstimatores hâc summopere invidiâ flagrant, quòd sæpe parùm concedatur ærumnis Ecclesiæ, quæ ferè inops & angustijs pressa, pendet non minùs à liberalitate, quàm à voluntate Pontificis. At Gregorius invidiam in admirationem traxit, tantúmque pecuniæ in omnia hominum genera effudit, ut prodigiosa non minùs, quàm prodiga visa fuerit hæc largiendi consuetudo; quippe nullum imposuit vectigal, & plura sustulit non vulgaris pretij, ac fructûs: & præter ea quæ memoravimus, illud certè, quod è farinâ parabatur, tanti erat, ut quidam potentiæ nervus videretur, hnmaniter tamen dimisit, mirantibus Principibus novum Gregorij morem, tributa reddentis, non accipientis. Sic non ex vano constabat Gregorij potentia, dum pro pecuniâ benevo-

nevolentiam colligebct. Nulla Principum, Vrbium, locorum, Civium, Ordinum, ac familiarum miſerior, ſeu anguſtior fortuna innotuit, cui privatim, & publicè non adfuerit aliquo ſubſidij levamento, citra jactantiam, & nullâ ex magnitudine liberalitatis ſpe: nec utebatur auctoritate ſine beneficentia: Principes Catholicos & conſilijs, & nummis juvare; Purpuratos ſupellectile, & proventibus: Epiſcopos donis recreare: alere, & amare Cœnobia, religioſaſque familias; Xenodocchia, & inviſere, & ditare; Opes Nobilibus, Virginibus dotem, Pergrinis, alimenta ingerere: patriâ extorres, præſertim Religionis causâ benigniùs excipere; nulli Mortalium opem poſtulantium deeſſe. Neque tanta liberalitas ex magnitudine ſolùm, ſed magis affectu metienda eſt. Hilariter & promptè ſubveniebat. Palàm aſſerebat, Eccleſiæ proventus ad pauperes, egenóſque ſpectare, quibus plurima centena aureorum millia (ut minimùm referam) diſtribuit; rogatúſque ſæpius, ijſdem non iraſcebatur, ſed blandiebatur; aiebátque ſe multum illis de-

debere, qui Pietati propagandæ subsidia postulabant, quasi docerent impendere Christi patrimonium quàm honestissimè: animúmque generis humani rectorem illa qnotidie fatigabat cogitatio, num hospitia ærumnosorum aliquo commodo carerent; & missis primùm Viris explorabat diligenter, mox abundanter omnia mittebat; ratus, ad pontificias curas in prim's pertinere, calamitosos homines, quibus ex morbo vel ærumnâ, nulla est sui cnra. Sibi quoque multa subtrahebat, ut alijs suppeditaret; egenis pretiosa largiri. sibi vilia retinere; quod sane indecorum Majestati videbatur, sed in Apostolica Sede oportet Caritati Majestas cedat; Et eò devenit hic beneficus animi ardor; ut non modò Romam, & pontificiam ditionem, sed Italiam cunctásque Europæ provincius, Africam, Asiam, Indias, Americanúmque tractum complecteretur, more Solis omnia foveudo. Christianos, religiosósque homines apud Montem Sinai in Palæstina, Mesopotamia, Thracia, Armenia, Iaponia & in ultimis Naturæ finibus degentes insigni be-

ne-

neficentiâ complexus est, quia remotiores, & omni ope destitutos: Recepit in sinum fouítque liberaliter Cyprios, alióſque iram Barbarorum ſeu expertos, ſeu fugientes: Britannos, Scotos, Hybernos, Belgas, Germanos, & quoſcumque Hæresis vel patriâ vel patrimonio deiecerat, quà proventibus, quà eleemoſynis detinebat; Captivos in Africa; Adductos triremibus in Italia, dato auro in ſingulos annos, eximere ſolenne illi erat, ac decorum; Turcæ ipſi, reliquiæ Naupacteæ victoriæ, mirabantur ſe captivos magnificè à Gregorio tractari. Academias, Romanam, Peruſinam, Lovanienſem, aliáſque ſuo ære juvit: Collegia & Seminaria Iuvenum memorata non modò ſtruxit, ſed aluit: Literatos autem penè omnes, quos illa tulit ætas, rerum honorúmque præſidijs cumulavit: inſtruxit etiam Typographiam, ſubſidium Literatorum. Dixiſſet, Gregorij Imperium non aliud fuiſſe, quàm Bonis artibus prodeſſe. At verò Religionis, & pacis causâ quantum impenderit, miſſæ expeditionis, legationéſque ad Chriſtianos Principes, ad Magnum

Mo-

Moſchoviæ Ducem, ad Regem Perſarum, omnéſque penè Nationes, facile indicant; ut ſileam tot centena aureorum millia Rodulpho Cæſari, Henrico Gallorum Regi, Germaniæ Principibus, aliiſque ab eo impertita, arbitrante, nullum eſſe Optimi Pontificatûs inſtrumentum ſtabilius, quàm liberalitatem in Principes Catholicos; atque unicum Religionis tuendæ præſidium, benemerere de omnibus. Philippum Hiſpaniarum Regem Toletanæ Eccleſiæ donavit fructibus, qui amoto tot annis Caranzâ Archiepiſcopo, ad vicies centena aureorum millia pervenerant; quaſi Regum ſit, multum alijs donare, Pontificum Regibus. Atque hoc mirandnm in Gregorio fuit, quòd in tanta largiendi ſeu neceſſitate, ſeu facilitate, ingentem auri vim, quæ ad ipſum ex hæreditate Epiſcoporum, fructibúſque Sacerdotiorum pertinebat, non ad ſe plerumque traxit, ſed ad commoda & ſubſidia locorum, in quibus colligebatur, imò (quod maximum erat) contractum ex conceſſis libellis pretium in pauperes, præſertim exteros conferebat. Alia ejuſdem

dem liberalitatis officia; tum in classe adversus Othomanos parandâ, tum in Avenionensi tractu muniendo, tum in pontificiâ ditione exornandâ, tuendâque, constant reliquâ narratione; nam Gregorio non sui, nec Suorum, sed sola Reipublicæ cura fuit.

CAP. XI.

Ærarij cura.

VIdebatur hæc tanta Gregorij liberalitas ærario illudere, sed revera illud conservavit, auxitque, citra tamen avaritiam, & lamenta populorum: Amabat reditus & opes Ecclesiæ, ut præsidia, sed oderat Civium onera, ut semina irarum. Itaque modum posuit immodicæ cupiditati, non honestæ utilitati. Abrogato eo Consilio, in quo artes exquirebantur pecuniarum, tam Civibus ingratæ, quàm noxiæ Principibus, publicè testatus fuit: hisce artibus imminui decus Pontificium, si citra necessitatem usurpentur. Cùm autem Apostolicæ Cameræ alienatis ferè rebus, ac proventibus, modica

ærarii locupletandi ſpes affulgeret, utilius duxit, res alienatas redimere, quàm novis vectigalibus turbare patrimonia Provinciarum. Peritiſſimis Viris ad hæc negotia delectis, plurima tum oppida, tum vectigalia recuperavit: auxitque Cenſum Apoſtolicum annuo centum millium aureorum reditu. Addidit Pontificiæ ditioni plura loca, in agro Sabino, in Latio, in Flaminia, in Umbria, & alijs provincijs: Ciſternam in finibus Italiæ, Gallis, Hiſpaníſque ad belli momenta opportunum Oppidum, immiſſo per Sabaudum milite recepit. Præterea alijs quoque rationibus Ærario proſpexit, ſublatis impendijs, vetitis incommodis, opulentis agris emptis, inventis in agro Spoletano ferrifodinis, procuratâ per Italiam Salis, & aluminum negotiatione; auctis Anconitani Emporij commercijs, aſſertâ Beneventanâ aquâ: Cerviæ Salinis amplificatis: Vallibus Ravennatibus magna ex parte, magnóque emolumento abſterſis & ſiccatis: rebúſque ſimilibus præſtitis, non avaritiâ, & pecuniæ amore: ſed quia Chriſtianæ rei ſpem maximè ſuſtentat Apoſtolici ærarii magni-

magnitudo. Evolvit accuratè arcanas tabulas, & antiquiora ſcrinia, ut amiſſos vel neglectos Eccleſiæ proventus recognoſceret. Compreſſit eorum audaciam, qui jure clientelæ iniquiore utebantur; reſtituit, quæ avaritia ſeu principum, ſeu ignavia Præſidum ſubtraxerant. plurimum æris alieni diſſolvit: fœdiſſimúmque Multorum morem, Apoſtolicæ Cameræ utilitatibus privato ſtudio adverſantium, coërcuit induſtriâ potiùs quàm pœnâ. Abſtinuit tamen eâ pecuniæ conquiſitione, quæ utilior Principibus, quàm Civibus eſt: frumenta negavit extra fines Pontificios deduci, ne quid annonam falleret: nunquam potuit flecti, ut oblatum à Populo Romano aurum acciperet, reſpondítque, Principis eſſe dare. Deſtinaverat alveum ab Aeſino flumine ad mare derivare, utilioris navigationis causâ, & alia meditabatur, niſi populorum aliquod incommodum interveniſſet. Demum ne poſſet unquam fraudibus Ærarij, aut Cameræ Apoſtolicæ conſentire, ſancitum à Pio V. de re Pontificiâ, nec clientelâ ſeu feudo, nec alienationibus diſtrahendâ, confirma-

vit diploma, in ejúsque verba rursum juravit unà cum reliquis Purpuratis. Sic liberalitati, quod rarum est, providentiam conjunxit, voluítque bene mereri de Republica, sine ullo Reipublicæ detrimento.

Cap. XII.

Res Urbanas, & Pontifitiam Ditionem componit.

ET quoniam plerumque ad Urbis exemplum Orbis componitur, tenuit constanter id moris, ut nihil in Urbe sineret impune, quod contumaciæ, aut impietati faveret; quarum altera Principem, altera Deum violat; Plurima statuit, quibus morum disciplina constaret sine flagitijs. Vetuit palàm seri sermones, aut vulgari libellos, de Principum fama, quæ non videtur magna, nisi mendacijs corrumpatur. Multavit illos, qui obtrectatione gloriam pretiúmve quærerent. Eorum, qui causas referunt, numerum deminuit, nam pauciores meliores. Domesticos munera captantes exclusit domo, & gratiâ. Deponi seriò jussit pessimum, armo-

armorum genus, enses, sclopósque brevissimos. Abolevit perfugia facinorosorum, præsertim in ædibus Purpuratorum, ac etiam Pontificijs, ne vitia crescerent, dum effugia non deessent. Alearum aliorúmque lusuum palæstras, infamiæ damnavit: fœnora Hebræorum Urbem exhaurientia compressit. Homicidij, & monetæ adulteratæ reos, extremo supplicio affecit; illos, quòd hominibus vitam, hos, quòd urbibus subsidium auferrent. Abiegnis è regno Neapolitano advectis Romana ædificia instruxit. Institutâ, ut memoravimus, præclarâ Typograghiâ, egregiísque characterum, etiam exoticorum typis cumulatâ, ingentia volumina edidit, utili tum religioni, tum bonis artibus curâ. Restituit Decreta à Gratiano collecta, additis per Jacobum Pamelium Conciliorum aliorùmque Decretorum appendicibus. Congessit in unum Constitutiones, & Diplomata Romanorum Pontificum. Et sacrarum Monumenta Literarum aggressus recognoscere, Græca correxit, accersito è Gallia inter alios Joanne Maldonato, aliàque præstitit, vel præsentibus vel

posteris laudanda. Ditioni verò Pontificiæ, consuluit annonæ copia & utilitate, etiam dum fames urgebat. Pestem sæpius gliscentem longè arcuit. Viterbienses fines enormi Grillorum intemperie purgavit, præmio allectis hominibus, qui eos, quà virente fronde, quà expanso lino profligarent. Piratas deterruit, dispositis per litora custodibus, & triremibus. Natas Romæ, Bononiæ, Imolæ, Asculi, alibíque civium dissensiones compescuit, nunc exilio, nunc ferro extra Nobilium metum aut favorem. Pacem semper coluit; nec unquam vel ipse bello se implicuit, vel Suos, nisi adversus Dei hostes. Urbes certè regionésque Gregorio subjectæ nunquam expediuere decem & tribus annis (grandi Pontificatûs spatio) arma in Catholicos Principes, rarâ felicitate; quæ quia magna erat, more humanarum rerum, aliquantulùm imminuta est ob nocturnas diurnásque Sicariorum grassationes, quas ortas ante ipsius Pontificatum plectere magis potuit, quàm tollere. Adeò fatale est singulis propè Principatibus, ut ne bello, aut belli calamitatibus careant.

CAP.

Cap. XIII.

Ecclesiam auget Religione, & auctoritate.


OMnia Gregorius ad Ecclesiam retulit, cujus decus propositum est Pontificibus, quemadmodum reliquis Dominantibus imperij fama. Primùm, uti diximus, animorum pietatísque Rectores, & Ecclesiæ primarios administros, Antistites, in urbibus constitutos, abesse nolebat; ne illæ suo destitutæ Episcopo, in casum darentur, & vitia. Graviter increpuit eos, qui grassante peste malebant sibi, quàm ovibus prospicere. Absentes ad reditum compellebat; & Regibus, ne abducerent, aut si abduxissent, ut remitterent, validè suadebat, more imperantis; Ipsos quoque Purpuratos perpulit, ut cederent sedibus, quibus adesse non possent, seu Romæ desiderio, seu aliâ causâ. Primus Marcus Antonius Columna Salernitano Archiepiscopatu se abdicavit, quem reliqui Romæ degentes imitati fuêre, insigni tum religionis, tum reverentiæ, in Grego-

rium experimento. Mox difficillimum ad opus, quod Antecessores, optavêre potiùs, quàm tentavêre, vires omnes intendit: fregítque turbinem difficultatum, usus non solo timore, odij interprete, sed magis amore, obsequij magistro. Ergo delegit viros probitate, doctrinâ, prudentiâ æque spectatos, qui omnia Christianæ Reipublicæ officia, instituta, morésque recognoscerent, explorarent mala, admoverent remedia, excinderent vitia, bene sanctéque ausa foverent, nihil intentatum, intactúmque relinquerent, quod posset in melius verti. Incredibilis labor fuit; sed labori par fructus. Auctoritate principes, imperio populos adduxit, ut parerent, neu adversarentur, miscuítque lenitati severitatem. Misit in omnem Italiam septem Antistites, dignitatis & virtutis merito pares oneri, ac in primis Augustinum Valerium in Dalmatiam, Carolum Borromęum in Alpes Rhætiæ. Germaniam, Poloniam Hispaniam, per Pontificios Nuntios, aliásque per alios lustravit provincias vel remotissimas, obtinuítque, quod Eugenius IV. aliíque Pontifices expetie-

petierant, ut Constantinopoli Visitatio Apostolica nomine Pontificis haberetur. Sic rem difficillimam ad exitum perduxit, non vi sed magis constantiâ; Orbémque terrarum, suum scilicet Ovile, more Pastoris recognovit; Indos verò, Arabes, Cophtas, Hebræos, Mahometanos, omnísque generis sectæque homines, omni ope ad Christianam Religionem sollicitavit, iísque admirationi fuit. Plura religiosis hominibus utilia sancivit, ne in Hispanis cænobijs pauciores, quàm tredecim commorarentur: ne ad prophanam auctoritatem confugerent: ne cum Episcopis certarent. Cistercienses, Basilianos, Præmonstratenses, & cunctos Religiosæ vitæ Ordines, ac inprimis Societatem Jesu sublevavit ope ac patrocinio; Sacrarum Virginum pudori ac solitudini prospexit, Abbatum loca & munia, temporum hominúmque injurijs labefactata, revocavit ad suam formam. In Primarijs Canonicorum Cætibus jussit ali hominem Theologiæ peritum, qui reliquos imperitos instrueret. Parochorum reditus minores centum aureis, vetuit ullâ pensione deminui,

ut honeſtiùs viverent. Ægrotis Chriſtianis interdixit, ne medicos Hebræos accerſerent, qui vitam corpori polliciti, ſalutem animo invident. Concilij Tridentini leges aut ſuaſit, aut inſinuavit. Nil demum prætermiſit, quod Numinis gloriæ verteret, unde Eccleſiæ Religio & auctoritas ſtat creſcitque: atque hac de cauſa tam liberaliter ſacrarum Indulgentiarum opes in Humanum Genus effudit; ut ſimul Eccleſiæ charitatem Populis exhiberet, ſimul Populos in Eccleſiæ veneratione contineret. At maxime ejusdem Eccleſiæ dignitatem ſuſtentavit per Seminaria jam memorata; nam ex ijs, tanquam ex Arcibus, validè tum Religio propugnata, tum Hæreſis & ſuperſtitio oppugnatæ fuêre. Ex Collegio enim Germanico eximij Athletæ prodiêre, quorum opere ac voce Catholica res ſtetit, nec modò hi minorum, ſed etiam Majorum Gentium Duces fuêre, tres ſcilicet ſeptemuiri Imperij Electores, aliique Archiepiſcopi, Abbates, Principes. Anglia etiam invictis ſuppetijs ab Anglicano Collegio adjuta, ex quibus triginta & quatuor pro Fide Roma-

Romanâ Romanisque Pontificis auctoritate tormenta, & mortem perpessi sunt. Sic viguit inter funera admirabilior Religio. Collegia verò reliqua tam Græcorum, quàm Maronitarum, & quæque alibi Gregorius condidit, eduxêre penè immensam Virorum aciem, qui doctrinâ & pietate Romanæ Ecclesiæ, Sedisque Apostolicæ conciliavêre auctoritatem atque amorem. Quanta demum Religionis incrementa ex Romano Collegio profecta fuerint, ac in dies profiscantur, Roma, & Orbis terrarum testantur; namque ad omnes Oras inde latiùs manavit Christi odor: ut sileam tres Summos Pontifices, plurimos Purpuratos Antistites, sapientésque viros innumeros, qui ex ejus disciplinâ egressi, Catholicam Ecclesiam & sustinuêre laborantem, & ornavêre regnantem. Atque adeò ausim dicere, hâc potissimùm machinâ fuisse à Gregorio debilitas portas Inferorum, per hæreses & scelera in Ecclesiam eo tempore invalescentium.




Cap. XIV.

Hæreticos arcet ab Italia.

HÆreticorum colluviem, Ecclesiæ suspectam semper inimicámque, coërcuit implacabiliter, & præcipuè contendit, ne in Italia, hoc est in Ecclesiæ sinu consisterent, gnarus, Hæreticos more anguium semper lædere, quò magis blandiuntur. Sollicitavit Sabaudum ad Genevam, hæresum Asylum, occupandam. Cavit, ne Calvini Institutiones, aliáque hæreticorum volumina in Italiam Basileâ deportarentur, ac dispergerentur. Missos Romam ab Elisabetha Anglorum Regina homines hæresim circumferentes, accuratè inquisivit. Carcere publicisque supplicijs severè ultus est eos, qui accessissent, vel injuriam sacris rebus, vel insidias Religioni struentes. Hominem exterum, qui ex ara calicem, spectante populo, ad D. Petri projecerat, facibus per Urbem ustulatum, ac pervicacem in ignem conijci vivum jussit. Absterruit Venetos, ne ob negotiationum commercia Venetias

Anglum Legatum admitterent. Henrico Gallorum Regi dissuasit, ne Salutiarum tractum Heluetijs divenderet, quorum aliqui Hæresum studiosi, inde labibus Italiam inspersissent. Monuit Sabaudiæ Ducem, ut Augustâ Taurinorum expelleret Hæreticos, qui jam eò ingressi, exitium meditabantur principi & principatui. Misit in fines Italiæ homines è Societate Iesu, ut diligenter Sectariorum, quorum spes Italiæ corrumpendæ inhiabat, vel turbarent consilia, vel studia opprimerent. Portus, merces, Bibliothecæ omnes ejus mandato executiebantur, ne quid pravorum librorum celarent, quorum lectio primus est ad hæresim gradus. Neque otiosa fuit aut inanis hæc industria id temporis, quo natæ nuper hæreses adolescebant, fervebántque, ac omnem facilè Italiam furijs oppleviſſent, nisi Gregorius obstitisset, quà pacis artibus, quà prudentiæ viribus. Et servatâ Religionis arce, Sectarum impetus retardabatur fortiùs, quò remotiùs grassabatur.



Cap. XV.

Bene meretur de Principibus.

NUnquam in officio Principes magis continentur à Pontifice, quàm cùm de ijs bene meretur. Hoc ſane arcano uſus Gregorius, omnia impetravit quæ voluit, dum omnia conceſſit quæ potuit. Simultates cum nullo exercuit: offenſiones novis beneficijs repreſſit; & juſtitiæ conſtantíæque tenax, nec odio fuit, nec contemptui. Parentis morem uſurpabat, ſuaviter increpando, qui aberrabant, & fortiter ſublevando, qui graviore fortunâ premebantur. Nec ullum ferè Principem Chriſtianus Orbis vidit, qui non ſenſerit Gregorij opem promptiorem, quò magis neceſſariam: & quamquam alibi narrantur, hìc breviter aliqua indicare, non erit ab re. In Italia Coſmo Mediceo Magni Ducis titulum à Pio V. tributum aſſeruit, adverſus iram Maximiliani Cæſaris. Alphonſum Ferrarienſem controverſijs ſedatis, Sedi Apoſtolicæ, Lucenſibus, Bononienſibus & Franciſco Me-

Mediceo conciliavit. Guilielmum Gonzagam Mantuanum liberavit metu armorum, quæ inferebat Sabaudus, ipsúmque Sabaudum munivit non modò S. Mauritij Ordine confirmato, sed etiam contra imminentia pericula. Venetos tanti fecit amavítque, ut spem meliorem fecerit ijs, tum in Othomano repellendo, tum in eorum societatem alliciendis reliquis Principibus, tum in ijsdem ornandis, misítque Benevolentiæ testimonium Rosam Pontificiam Mocenigo Duci, munus Regibus gratissimum; Ortas inter eos Hispanósque ob navem captam discordias abolevit, navi recuperatâ. In Germania nulli non præsto fuit. Maximilianum Cæsarem, licet incerto consilio incertáque fortunâ utentem, ob incerta temporum, omni ope prosecutus est ad imperij decus sustentandum, & Rodulpho relinquendum, & præcipuè ad capessendum, quod oblatum fuerat, Poloniæ regnum. Archiduces Austriacos, eorúmque sorores, & Mariam Augustam, quà honoribus, quà subsidijs affecit; Ioannámque Austriacam Lauretum profectam, singulari ho-

honoris teſtimonio excepit. Erneſtum Bavari fratrem & Romæ magnificè tractavit, & Colonienſem ad dignitatem extulit. In Polonia non modo Regi Stephano, ubi ejus pietatem comperit, peramanter aſſenſus fuit, ſed nobilioribus quibuſque favit: Albertum Laſchium eidem Stephano reconciliavit: Georgium Radzivilium Romam vocavit, ſanctiſſimíſque moribus inſtructum reddidit Poloniæ, purpurâ & dignitate gratiorem. In Gallia Regiam ſecuritatem hæreticorum aſtu laborantem, Carolo & Henrico Regibus, ſuſtinuit conſilijs & auxilijs, Guiſios & Carolum Borbonium purpurâ ornavit. Hiſpaniæ verò Regi Philippo II. libenter gratificatus fuit; quippe ejus potentia timorem Othomano, ſpem rei Chriſtianæ afferebat. Ioannem Auſtriacum ejus fratrem ex victoria Tunetana reducem, Romam invitavit, accepítque regio apparatu Lauretum accedentem; eíque ut ſolium Tunetanum traderet, vehementer ſuaſit Philippo, qui noluit potentiâ efferre juvenem, quem victoria extulerat, eóque ſuſpectum ſpei.

Nec

Nec de Catholicis modò, verùm etiam de alienis à Religione Principibus, optimè ſtuduit mereri, gnarus, magnos animos beneficijs potiùs, quàm curis hoſtilibus infringi.

Cap. XVI.

Eccleſiæ jura tuetur.

HÆc optima in Principes Gregorij voluntas, quemadmodum nec odio, nec æmulatione certavit cum Principibus, ita gratiam retulit, cùm neceſſitas & amor recti extorſit iram; præſertim cùm jura Eccleſiæ violabantur, quæ tueri ac illibata ſervare non modò licet, ſed etiam expedit rei publicæ, cujus moles nititur auctoritate reverentiáque Religionis. Novis ubique rebus exercebatur Gregorij patientia; ſed ille non inſurgere tumultuoſiùs, ne fœcunda rixarum ſecula, ſpecie cognoſcendæ veritatis, eluderent poteſtatem: item potiùs indicare, quàm effundere: nec Reges offendere, dum offenderent, ſed conſtanter monere, nec terreri; oſtentare vires juſtitiæ, quæ violata ſup-

supplicium est violantium; atque ita vincere ut vinceret, non videretur vincere. Seculi genius est, nulli concedere, & omnia ad se trahere. Vix Superos, cùm fulminant, timemus. Atque hac de causa prudenter potiùs, quàm violenter, causam egit Ecclesiæ; & obtentâ causâ maluit ignoscere. Ludovico Requesenio, qui Mediolani præerat, fuerat sacris à Carolo Boromæo interdictum, quòd vetuisset Antistitis familiam arma gerere, nisi ex Regis præscripto: Post multa per discordiam utrinque acta, Ludovicum, quòd facti pœnitentiâ tangeretur, & in Hollandos proficiscentem, clementiùs accepit. Iratiorem se præbuit Antonio Perenotto, qui Regnum Neapolitanum pro Rege administrans, Nuntij Pontificij potestatem arctiùs cohibere meditabatur; & misso jurejurando, quo ille se cum Romana purpura obligaverat, acriùs eum terruit, quò inexpectatiùs. Eidémque, Marium Carafam Neapolitanum Archiepiscopum, ob inflictum anathema perduellem Regis judicanti, seriò minatus fuit purpuram se detracturum,

minís-

minísque ſeveritatem ultionis addebat; Sed ille compertâ Gregorij irâ, ſtatim acta reſcidit, Antiſtitem reverenter complexus, ac demum Joanne Auſtriaco deprecante, poſt longum iræ ſpatium, receptus in gratiam à Gregorio fuit; Namque hic cenſebat periculoſiùs, quò facilùs aberrare illos, qui Eccleſiæ addicti, Eccleſiæ non ſerviunt. In Sicilia quoque Pontificiam juriſdictionem fortiter ſuſtinuit. Carolum IX. Galliarum Regem, ſacrorum proventuum impendio, incommoda regni ſublevare molientem abſterruit; & Philippi Secundi minaces ob ejusmodi conſilia querelas, non modò non timuit, ſed graviter increpuit. Venetos etiam perpulit, ut quas Epiſcoporum cauſas cognoſcebant, ad tribunal Pontificis deferrent; neu acciperent Parochos, inſcio Apoſtolico Nuntio. Alios quoque minorum virium Principes cohibuit, ne plus tribuerent ſibi, quàm Deo, cujus patrimonium Eccleſiæ auctoritas eſt.

CAP.

Cap. XVII.

Annum Sæcularem celebrat.

INtendebat se annus quintus & septuagesimus supra millesimum & quingentesimum, quo Christianæ pietatis solemnia se revocabant, & libera tumultibus Roma, vocabat in sinum suum, tanquam in portum, jactata bellis timoribúsque Christianæ gentis vota, & corda, cælestibus recreanda piaculis. Gregorius in occasionem intentus, quam avidè optabat, optimè de universo Genere humano merendi annonam primùm augere: & ne Peregrinis avaritia hospitum illuderet, pretia rebus coëmendis assignare: vetare, domos locatas aut recipi, aut cariùs locari: mox apparari plurima sive ornamenta, sive instrumenta pietatis, quibus advenientia agmina consolaretur, demum altaria, templa, suis instruere insignibus. Instauravit Templi tum Vaticani, tum Exquilini porticum; Vaticanas etiam ædes eximijs rerum sacrarum simulacris cumulavit; Vias commodiùs instravit; duxit à Laterano ad Exquilias

lias rectam & mollem semitam, pontes alibi erexit, ubi periculum & metus peregrinis; nullámque prorsus neglexit utilitatem, quâ vel accedentium Religioni, vel Romæ ad majestatem profuisset. Evulgatis, missísque ad Gentes literis, allocutus est piè humanitérque Purpuratos; Exemplo, uti dignitate, reliquis mortalibus eminerent: magnam fore Generis humani querelam, si, dum ceteri ex toto pene Orbe Romam supplices peterent, ipsi nullo exhibito pietatis studio, quodammodo abessent: Frequentatione templorum familiæ modestiâ abdicatione luxûs, eleemosynarum largitione, charitatisque officijs, famam Purpuræ apud exteros conservari, & maximè humanitate Hospitij, cui è Cælo merces: Se interim operam daturum, ut fidem dictis adijceret. Statímque sese in omne pietatis genus effudit: attentiùs frequentiúsque precibus ad Deum fundendis incumbere: mores tum suos, tum domesticorum, ac Civium, exigere ad normam censurámque sanctimoniæ: domi forísque cavere, ne quid citra gravitatem honestatémque accideret, neu Sanctitas in sinu suo hauri-

hauriret labem. Cùm advenisset Pervigilium diei, quo Christi Nati memoriam repetimus, accessit de more candidis ornatus vestibus; Purpuratis, Episcopis aliísque tum sacræ tum prophanæ dignitatis nobilibus Viris stipatus, ad sanctiores Vaticani Templi fores, eásque ter incusso malleo aperuit, tanto gaudio plausúque omnium, ut cælum recludi videretur; multitudo certè hominum tanta confluxit, ut decem & septem præ turbâ & impetu exanimes corruerint. Hisce apertis foribus, veluti patefacto divinæ miserationis gremio, ex omni propè sede proripuit se Orbis terrarum; unde Romæ infinita vis mortalium, qui libentiùs accedebant, quòd humaniter tractabantur. Illud supra omnia stupori simul & amori erat, aspicere gentis humanæ Rectorem, ætate jam gravi, vultu animóque florenti audire omnes, excipere, complecti, maximámque diei partem hujusmodi officijs impendere, adire hospitia, ministrare alimenta, majestatem impertiri. Hæc Principis Charitas incitamento fuit reliquis Procetibus & Purpuratis, præsertim Ferdinando

do Mediceo, Alexandro Farnesio, Duci Parmensi, Paulo Jordano Ursino, & ipsi Ernesto Bavaro, qui Romam se id temporis contulerat. Et memorant, vix unquam fuisse hujusmodi solemnia tam magnificè, támque nobiliter celebrata, adeò, ut liber prodierit, quo hujus anni res gestæ commendantur, quem evolvere fas erit, cujcumque amor hæc cognoscendi. Demum vertente se anno, Gregorius actis Deo publicè privatímque gratijs, præmisso ad veneranda Templa longo Arabum, Armenorum, Græcorum, aliarúmque Gentium ordine, quasi Religionis triumpho instructo, adivit & ipse; eadémque die, quâ ante annum recluserat, sanctiores clausit fores, Româ dubitante, utrùm simile in posterum spectaculum visura foret.

Cap. XVIII.

Genuensium res componit.

INgens Italiæ turbo ex Genuensium discordiâ hoc anno imminebat, nisi hanc Gregorius depulisset citra sanguinem & im-

impetum. Causa discordiæ penes Nobiles, qui vel æmulatione, vel odio certantes, nec Seniores Junioribus pares, nec Juniores haberi senioribus minores amabant. Siquidem Urbs olim viginti & octo numerabat Patritiorum familias, quæ cùm in decus nobilitatis alias paulatim adoptarent, post illas demum fuerunt, non sine tædio Patritiorum, quibus antiquæ nobilitatis fama spem auctoritatis incendebat. Itaque Andreas Auria Urbis liberate assertâ firmavit Seniorum decus, attributâ suffragiorum, & magistratuum dimidiâ parte, quibus cùm accederent non rarò aliqui Juniores, irascebantur è posteriore nobilitate viri. Honoris æmulatio necessitatem attulit discordiæ, & plebe concitatâ mox ad dissensionem discessum fuit, quam Gregorius re comperta composuit, omnes monendo, nulli favendo, ne metum suspicionémque sui ingereret. Hæc acciderant anno à parta salute 1573. videbantúrque fovere plus medelæ, quam vulneris. Sed anno seculari conversis repentè ad novas iras Nobilium animis, Seniores Hispano, Junio-

res Gallo freti, nec remedium nec vulnus patiebantur. Senatus discors Vulgus minax, armati Opifices, licentiam alebant ac seditionem: Et Patritij primùm arces & sua præsidijs tueri; mox seu, desperatione, seu studio ultionis recessêre. Hinc gravior Urbis calamitas, dominante Vulgo, cujus modicus timor pro fræno est, quo si careat, nihil abnuit. Hæc inopina rerum turbatio incredibilem Gregorio metum injecit, ne aut bello aut hæresi Italia involveretur; nam plerúmque simul cum pace Religio periclitatur: dolebat etiam, solemnia Christianæ pietatis imminui tumultibus. Igitur misit Genuam Joannem Moronum Purpuratorum, antiquissimum, prudentiâ juxta & rerum experientiâ venerabilem, qui adultam seditionem, melioribus convelleret consilijs, discordésque animos constanter & cum auctoritate regeret, tanquam concordiæ sequester; Nobiles absentes in Urbem revocaret, ne abijcerent omnia sua, dum aliena incerti quærerent: Seditiosos incusaret, quasi propiores servituti, dum libertatem aut dominatum amant: Plebem

D verò

verò adhortaretur, ne Urbem pessum daret; per speciem securitatis sæpius advocari pericula, cùm tumultuosè arcentur. Insuper Gregorius aliâ pacis adjumenta paravit, rogatis qui Romæ aderant, Genuensibus, ut iras patriæ lenirent: Et Hispano suasit, ne quid suspicionis adderet. Misit quoque Genuam vim magnam frumenti, quæ gratior accidit, quò carior erat. Præterea indictâ criminum piaculari veniâ, jussit solemni prece Numen conciliari, quò subsidio nil præstantius ad comprimenda Urbium bella: nam plerumque animorum prælia, sunt semina cælestis iræ. Hisce, aliisque instructis artibus, multum benevolentiæ accessit Gregorio apud Cives; verùm altiùs insederat potentiæ cupido, quæ ubi mentes subit, præcipites ad incerta rapit. Concordiam jactabant, discordiam alebant. Neque Pontificius Legatus, exterus homo, par erat ambitioni Civium; ergo discessum cogitabat, ne auctoritatem Pontificis imminueret nimia vulgi potentia. At Gregorius conscientiâ suorum consiliorum fretus, Morono, ne quid abeunti similis moliretur, præcepit:

evulgato Legati diſceſſu, ſtudia ſeditionis magis accenſum iri; quippe remotâ auctoritate nihil inſolentius audacibus: fore brevem furoris impetum. Nec dicto exitus diſcors fuit; mox enim evanuit impetus, cùm invaleſcere maximè videbatur. Et jam Patritij ſalvâ libertatis innocentiâ, rem Pontificis Hiſpaníque arbitrio permittebant, nec Ceteri obſtabant; verùm paulò pòſt comperêre, lætiora eſſe diſcordiæ conſilia, nec extorqueri aliam pacem dominante Vulgo, niſi verbo ſpecioſam, re inanem. Interim Aiamontius, Mediolani Prætor, Germanicis, Italiciſqùe copijs accinctus, ſeſe, in conſpectum terrorémque Genuenſium dat; & Ioannes Auſtriacus Hiſpanis, ac Neapolitanis Tiremibus validus, Portum Genuenſem efflagitat, quo negato, Portum Erycis ſubit iratior, ac minanti propior. Hic novus ſubitúſque Hiſpanorum terrâ maríque apparatus, & vulgatus Aiamontij cum Auſtriaco congreſſus, miſsúſque in Hiſpaniam inde Eſcovedus, arcanâ formidine Italiam òpplevêre, quaſi plusquam civilia agitarentur. Servitutem offerri ſe-


ditionis remedium. Augebat hanc ſuſpicionem in dies fama, novorum conſiliorum impatiens, cunctóſque Principes, & maximè Gregorium offendit, qui non ignorabat, bellicis apparatibus pacem obtendi, bellum excitari; & maximè verebatur, ne inſuſpicionem ipſe veniret, ſi acriùs rem apud Hiſpanum urgeret. Igitur cautè potiùs, quàm acriter, publicæ proſpexit ſecuritati, & retento legato, quem in Hiſpaniam deſtinaverat, velut ignarus rerum, ac nemine conſcio, exaratis Pontificia manu literis Hiſpanum admonuit, ut amoveret arma ſæpiùs periculoſa. Civilem furorem armatâ vi ſuccendi, non extingui; nec expedire Italicæ quieti, accedere Hiſpanum ad bellica, tentamenta, invito Pontifice. Poſt hæc redduntur ab Hiſpano literæ regiâ quoque manu conſcriptæ, quibus religiosè Rex conteſtabatur, ſe pacem velle, & hanc quæri per acerba & moleſta, quòd lenia contemnebantur; ferrum oſtentari, ut ferro abſtineretur. Excuſſo regiæ potentiæ metu, Gregorius concordiæ ſanciendæ animum vehementiùs adjecit, juſſóque

que

que Morono legato consilia jungere cum Vito Orimbergo, & Petro Costacciano, à Cæsare missis, & demum cum Carolo Borgia, rem eò deduxit, ut ij qui Genuæ per tumultum, & seditionem dominabantur Patritijs, haud iniquas conditiones amplecterentur. Sed Patritij seu Classis Hispanæ confidentiâ, seu ne redirent precariò, trahere longiùs rem, donec ad arma iretur. Commotior ad hunc armorum turbinem Pontifex, gravioribus literis Joannem Austriacum perstrinxit: inania esse Regis promissa: pacem ijs armis turbari, quibus obtentui pax erat: & corrumpi libertatem, dum licentiæ consulitur; imo bellum inferri, dum seditio vitatur; Eúmque adduxit, ut gliscentem Patritiorum vim coërceret. Atque ita sublatis offensionibus, ac obsidibus utrinque datis, ad eas deventum est consensionis mutuæ leges, quæ Gregorio primùm probatæ, mox placuêre omnibus, suáque reddita est Genuæ quies, Italiæ tranquillitas, non strepitu amorum, sed pacis reverentiâ.

Non modò hæc ſeditionis procella, ſed alijs caſus, Gregorij erga Genuenſes benevolentiam prodidêre. Philippus Hiſpaniæ Rex ibat imminutum lucra & fænora Genuenſium, qui negotiabantur in Hiſpanica ditione; unde Genuæ ingens detrimentum; nam plerumque pecunia Mercatorum, pretium eſt familiarum. Incertis Civibus quid agerent, Cyprianus Pallavicinus Archiepiſcopns impendentem calamitatem Gregorio ſignificavit, qui ſtatim eam avertit, monito per literas Hiſpano, ut abſtineret damno; nam ſublato fœnoris lucro, facilè ſublatum iri commercia, quibus Hiſpanica fortuna muniebatur. Alio etiam beneficio caritas Gregorij plurimorum Genuenſium commodis proſpexit, qui naves commeatu plenas ad Chriſtianam Claſſem in Othomanos paratam, in Corcyram detulerant, & dum pretium repoſcunt, nec ab Hiſpanis, nec à Venetis audiuntur; Ergo Gregorius cognitâ causâ cenſuit, ab Hiſpanis deberi pretium, qui ſtatim paruêre Gregorio, cujus æquitas pro lege erat. Magis tamen placuit, quò magis terruit aliud Gregorij

factum. Augustinus Assaltus homo procacis & popularis ingenij, novis in Rempublicam insidijs conspiraverat, statuératque unà cum alijs, obtruncato Duce, Senatúque vastato, Rem turbare publicam suo arbitratu, more eorum, qui suæ obliti fortunæ, non nisi scelera, pessima ambitionis præmia, meditantur. Re detectâ capitur, vocatur ad judicium; sed corruptis judicibus, vi & conatu eorum, qui conjurationi favebant, nunquam sua sceleri pœna infligi potuit. Itaque Senatus, ne impunitas flagitij pro incitamento esset, ad Gregorium confugit; & ab eo missis Genuam peritis hujusmodi causarum hominibus, quæstionibúsque habitis tandem fracta est potentium vis, déque conjuratis sumptum capitale supplicium. Sic pœnis coërcita audacia, validísque documentis ad libertatem tuendam insinuatis, Rempublicam adversus fortuita firmavit.



Cap. XIX.

Avenionensem tractum tuetur.

MIserrima Gallicarum rerum conditio, & vincina Avenionensi ditioni, ex Aurantij principatu, hæresum imtemperies, Gregorij animum acriùs extimulabat ad Avenionem tuendam, ne quid hostium fraude, aut Civium discordiâ eveniret Catholicæ Religioni, Pontificiæque auctoritati luctuosum. Misit eò Ascanium Martinengum valida cum Militum manu, quam ne in Gallias admitteret, Carolus IX. spopondit, se Avenionem propugnaturum, sed Gregorius & fraudem veritus, & ne alijs sua committeret, maluit suis, cùm posset, viribus niti, quàm alienis. Nec destitit novis subinde auxilijs præsidia confirmare; pecuniam & stipendia diligenter procurare, ne quid per seditionem Milites agerent; Urbis Rectores, militiæque præfectos crebris monitis, mandatísque sollicitos habere, ne ullus ex improviso ingrueret hostis.

Et

Et eventus Gregorij ſollicitudinem approbavit. Cæſar Palazzolus Equitum magiſter, pluribus excurſionibus non modò Urbem ab inſidijs armiſque hoſtilibus vindicavit, ſed plurimos cepit Hæreticorum duces, in primis Joannem Caſtilionæum, ſcelere ſimul & gratiâ Principum florentem, quem juſſit Gregorius capite plecti, vel invitis Principibus, ne lætiora ſibi fingerent Hæretici per Principum benevolentiam, quamquam ille morti propior, Eccleſiæ Catholicæ ſe reddidit, temeritatémque vitæ abſolvit mortis pœnitentiâ. Abolevit etiam Gregorius plurima tributa, quibus demptis Civium fides, & amor creſcerent: exules, & maximè infectos hæreſum labe procul amandavit; extruxit nova munimenta, & aperuit, viam, quam Gregoriam dixêre, aliáque præſtitit Urbi propugnandæ opportuna, ut inſidijs locus deeſſet ac auctor. Paulò pòſt fama vulgavit, Henricum Regem, qui Carolo ſucceſſit, Avenionenſi ditioni inhiare, quaſi Gallici regni firmamento, eóque cogitâſſe mittere Gondium Parienſis Epiſcopi

fratrem, ut specie defendentis, regios milites in Urbem traduceret, & mox dominatum. Gregorius nihil palàm irasci; sed irâ dissimulatâ, & Regis animum fefellit, & spem hæreticorum infregit: nam, Pontificio præsidio quà officijs quà stipendijs confirmato, ad Regem, scripsit conquerenti similis: non tam, ut Regem accusaret, quàm ut cohiberet. Demum Henricus pace cum Sectarijs initâ, traxit quoque ad pacis conditiones Avenionensem ditionem, Pontificis aut iram veritus, aut gratiam aucupatus, & ne videretur illudere, ac etiam ut deleret appetitæ Urbis notam, reddita fuêre plura oppida, prætèr Arcem Minerbensem, quam jussit Gregorius obsideri, & omnino capi, ne asylum in Gallia hæresi esset; Et capta demum arx fuit post sexdecim Mensium obsidionem, pari obsessorum & obsidentium pervicaciâ. Sed Hæretici novis in dies rebus intenti, non destitêre Avenione concire turbas, quibus finem imposuit Pyrrhus Malvetius, sublato Gulielmo Patresio, quo duce omnia turbabantur. Misso etiam Blasio Capizucchio militaribus

bus expeditionibus insigni cum trecentis bellatoribus, validiùs repulit arma fraudésque tum hæreticorum, tum perduellium, ac factiosorum Civium, quorum aliquos conspirationis reos per Georgium Diedum damnavit; Urbe potiùs attonitâ quàm iratâ; nullum veritus periculum, dum incolumitatem Urbis tuetur, cui sanè Gregorij tum prudentia, tum constantia necessaria fuit, quarum alterâ cavit insidias, alterâ repulit.

CAP. XX.

Curat, ut Optimus Poloniæ Rex eligatur.

ERepto Sigismundo II. pietate ac prudentiâ eximio Rege certatum est in Polonia omnium studijs, præsertim hæreticorum, de successore deligendo; nam populorum est, ea Religionis consilia sequi, quæ Principes amplectuntur; ideóque suas quisque ad Partes Principatum trahebat. Quocirca studiosiùs Gregorio cavendum fuit, ne Sectarij voto potirentur, quibus acquisito Poloniæ Regno,

non modò patebat omnis Septemtrio, sed conjunctis cum Othomano viribus, facilis erat in Catholicos omnes conspiratio. Ergo, ut coërceret Othomanum, objecto potentissimo Rege, ac spem Sectariorum eluderet, duos nominavit, quorum alteri à Polonis credi posset Polonia, regenda tuēdáque, non sine metu hostium: Ernestum scilicet Austriacū Cæsaris filium, & Gallici Regis fratrem. Stephanum Bathoreū omiserat, id temporis Transilvaniæ imperantē, sed suspectū, quòd Othomanus illi faveret. Tres præcipuè magnæ auctoritatis Viri, Gregorius Cogneviskius, Nicolaus Christophorus Radzivilius, & Albertus Lazschius, Joanni Francisco Commendono conjuncti, privatæ utilitati rem Catholicam præposuêre, raro exemplo, & optimo successu. Electus demum fuit Henricus Valesius Caroli IX. Gallorum Regis frater seu quia Poloni nimiam Austriacæ familiæ potentiam rebantur, & propriorem Poloniæ timebant, seu etiam quia minùs timebant Galliam, magis dissitam, remotámque. Ad Henricum misit statim Gregorius Seraphinum Olivarium Gallum,

lum, qui Pontificiæ lætitiæ argumenta exhiberet, deinde Joannem Vincentium Laureum, qui Regem in Poloniam deduceret, eique nomine Pontificis adesset, ac præterea Edmundum Augerium Societatis Iesu hominem, Galliæ probatum, & Henrico gratissimum, adiecítque religiosa munera, quæ novis Principum animis commovendis validissima sunt. Magno jactatus est discrimine Rex, penè adactus jurare in verba Hæreticorum, quibus arma, minæ, & loco virtutis religionísque, impietas & vitia arrident; sed Gregorij solers prudentia periculum exemit, monito Rege; ne aliâ vel capessendi, vel administrandi Regni, quàm antiqui moris formâ uteretur; neu fineret ab Hæreticis in fraudem Catholicos Episcopos abduci: unum esse tum spiritum, tum corpus Poloniæ: Cœtibus conciliísque privatis juvari non publicà, sed privata commoda: sæpius foveri mala, dum jactantiùs remedia procurantur. Verùm acerbior casus afflixit iterum Poloniæ res, quas Gregorius cœperat sustentare per Henricum Regem, qui ætate ac fama florens intimè Catholi-

tholicus, & gemino validus regno, potentissima dominationi subsidia attulerat, nec modò audaciam Hæreticorum terrebat, sed paratus adversum Christianæ fidei hostes, spem novi fœderis ingerebat. Siquidem Henricus nunciato Caroli fratris Galliarum Regis obitu, quasi gemino par regno, clàm è Polonia in Galliam discessit, ignaris Polonis, quibus absentia Regis periculosior erat, quòd vel contemnitur plerumque, vel contemnit, qui abest. Itaq; Gregorius comperto Henricum per Italiam iter facere, missis ad eum Jacobo Boncompagno, & Philippo Boncompagno, quorum alter eum Ferrariæ, alter Venetijs Pontificiæ benevolentiæ officia deferret, specie monentis rogavit, ut vel Romam vel Bononiam accedens, mutui sermonis copiam faceret; fore illi ex Pontificio congressu plurimum gloriæ & utilitatis: sed ille maluit inservire consilijs aulicorum, qui sua, non Principum compendia amant. Hic Henrico discessus quò magis repentinus, eò ingratior, summam invidiam creavit, quasi vilior illi Polonia esset, flagrantésque studio gloriæ homines in ea con-

consilia accendit, ut eo abdicato, novi Regis comitia desiderarent, amaréntque ignobiliorem Principem, quò minùs contemnerentur. Et Sectarij ad tumultum seditionémque proni, evulgavêre arcanum; Poloniæ interesse, Principem habere, qui mediocri nobilitate, potentiáque floreret. Hoc vulgato novas res quisque moliri, & aliquem offerre, qui præsentium invidiâ, & metu, regium honorem obtineret potiùs, quàm mereretur. Igitur Gregorius Vincentij Laurei operâ ingeniòque usus, ostensâ novi arcani fraude, prosperiore conatu inclinavit omnium animos ad Principem Catholicum designandum, qui & familiæ, & potentiæ vi non timeret imperare, nec penderet à Sectariorum impetu, qui pervicaciam & libertatem pro servitute ac obsequio meditantur. Et quamvis omnino Maximilianum Cæsarem laudaret, sollicitarétque ad regnum capessendum, ratus, haud alijs, quàm Austriacæ fortunæ viribus Othomani ambitionem, Poloniæ inhiantem, repressum iri tamen mora Maximiliani corruppit Pontificis consilia, vertítque mentes ad
Ste-

Stephanum Bathoreum Transylvaniæ Principem: cujus fautores per celeritatem & vim Cracoviâ petiti, Regem ibi Stephanum inclamant, regiísque insignibus exornant, frustra reclamante Maximiliano, qui ab Arhiepiscopo Gnesnensi, quem Poloniæ Primatem vocant, pluribúsque Senatorum suffragijs jam Rex designatus, perdidit regnum cunctando. Non amabat Stephanum Gregorius, quasi periculum ab illo foret, ob Amurathis amicitiam; at ubi ejus obsequium erga Pontificem, Catholicæque Religionis amorem cognovit, non potuit non vehementer amare, ac humaniter complecti, didicítque, sæpe meliores mores à meliori fortuna nasci, ac docuit, Romani Pontificis benevolentiam in Reges eò vergere, ut Religio dominetur. Interim Bathoreus usus hac maximiliani morâ, non modò contumaces adversósque animos ad se pertraxit clementiâ, & promissis, sed apud Principes famæ, ac regno consuluit, captatâ per literas, & Nuntios gratiâ, Atque Oratorem misit ad Pontificem, qui reverentiæ & obsequij pignus afferret; nuntiarétque,

se

se nolle regium sceptrum tenere Gregorio invito, adeóque efflagitabat supplex, ut sibi liceret esse Regi per Gregorium, qui jam à Maximiliano rogatus, ut Bathoreum & ab eo nuncupatos Episcopos rejiceret, responsi anxius erat, quia certus offensionis, seu Stephano, seu Maximiliano assentiretur. Sed nuntiatâ Maximiliani morte, liber curâ Pontifex, Stephani literas ac Oratorem suscepit, jussítque Laureo, ut ad eum se conferret; eíque nomine Pontificis adesset. Sic Providentia Ecclesiam, Poloniámque ingenti bello, metuíque exemit. Neque destitit Stephanus sceptrum indeptus, ac æmulo extincto, placere Gregorio, sed defensâ propagataque Catholicâ religione, quod norat illi gratissimum; exclusis magistratu & præfecturâ Urbium hæreticis, aucto templorum cultu, immutatis ad normam pietatis Civium motibus: Cracoviensi Academiâ ad fidei Catholicæ formulam recitandam pertractâ; Tridentini Concilij legibus acceptis; ac regno evulgatis, illud etiam adjecit sinceræ pietatis argumentum, ut more tum Poloniæ insueto, legatum

tum ad Gregorium destinaret, qui sedi Apostolicæ obedientiam regiam præstaret. Hic erat Paulus Uschanchius, cujus Romam accessus quia tardior, ob itineris moram, vulgatus multò antè fuit, excitavítque Gallicum Oratorem ad novas moras ingerendas; Et enim cùm Polonus deduceretur ad Aulam, Pontificio conspectui admovendus, Gallus præcessit, déque genu coram Pontifice ac Purpuratis contestatus est, Henricum esse Poloniæ Regem. Gregorius pontificiæ gravitatis memor, ad improvisam vocem constitatit, ore, vultu, animóque immotus; mox discedente Gallo, admissum Stephani legatum fronte hilari audijt, eíque per Antonium Boccapadusium humanissimè rerespondit, Rege magnifice laudato, ac legato perquam honorificè dimisso. Ita Gregorius & suam approbavit prudentiam, & regiam Stephani Bathorei pietatem.

CAP.

Cap. XXI.

Galliæ favet, & prospicit.

INnterim Gallicæ res cadebant, quà lenitate dominantium, quà consilijs eorum, qui Regi aderant; unde summa Regni discordia; hæreticis ad se se omnia per minas & arrogantiam trahentibus: Catholicis verò novas res (uti meliores) cupientibus, Atque eò fastidia procesſêre animorum, ut vel ipsi Regio sanguine orti Proceres, seu suomet ingenio, seu arte potiùs Hæreticorum, in Regis aliorúmque exitium conspiraverint: quæ conjuratio licet salubri temperamento elusa fuerit, tamen remedia infra sanitatem erant, quippe non clementiâ, sed severitate conservantur, quæ non clementer inchoantur. Et plerumque constitit experientiâ, Hæreticos, ac seditiosos, nec leniter, nec violenter accipiendos esse, sed fortiter coërcendos; ut timeant, non terreant. Ergo Gregorius quò Regni tristem imaginem ad prosperiora verteret, Regi suasit, ut inito cum Hispanis fædere, totus in-

cum-

cumberet addamna sectariorum; ex severitate pacem fore: tutiùs & certiùs domesticos hostes comprimi, si externis quoque viribus communiaris. Verùm aliò avertit Regem, callida quorundam mens, haud ignara, concordibus Gallo, & Hispano, nihil esse rei publicæ timendum; Gallicæ potentiæ arcanum esse jactabant, extrà perduelles amandare, ac fore in Belgio amplum inquieti furoris excipiendi locum; Galliam haud posse convalescere, nisi abductâ ægrorum turbâ. Inter hæc moritur Carolus Rex, nuncupavítque hæredem regni Henricum; quo facto summa Gregorium sollicitudine levavit; cùm enim Franciscus alter Caroli frater in spem Regni accenderetur, verendum erat, ne sectarij studerent illi, quem Pontifex desereret, & Regnum per discordias divideretur. Gregorius verò præceptâ Regis morte, Fabium Mirtum in Gallias misit, qui Catharinam Caroli parentem, Pontificij doloris, solatijque fomento priùs exhibito moneret, ut corruptissimis in rebus, divinæ gloriæ sinceræque religionis curas suspiceret: non aliter publicis malis con-

sultum

fultum iri: ageret constanter, nec ostentaret metum, & ex metu periculum: conjuratos cohiberet multarétque: impunitate ali audaciam, cuj adultæ omnia prona; non defutura, si opus esset, ipsius Pontificis subsidia, quibus posset nimia seditiosorum studia vel deprimere, vel remorari. Dedit quoque literas ad Franciscum Valesium, & Henricum Borbonium, quibus illud ex animo commendavit non separandas Gallicas vires; ne, dum privatis injurijs indulgent, publicæ felicitatis arcem everterent: concordiæ ac pietatis studio paulatim ad summa perveniri. Præterea Joannem Mariam Gratianum ad Henricum Poloniæ jam Regem misit, eíque significavit Galliarum mala: rediret in Galias, etsi teneret Poloniæ fasces: ex mora ipsius, Christiani penè orbis discrimen ingruere. Gratiano etiam mandata dederat, ut impetraret à Polonis, ne quid turbarent, ac æquo animo ferrent Regis absentiam, cujus incommoda publicæ magnitudo calamitatis minuebat. Verùm Henricus occupatâ Pontificis voluntate, iratísque Polonis, jam decesserat: & profectò sibi

ſibi Galliæque conſuluiſſet, ſi eâdem feſtinatione, quâ diſceſſit è Polonia, acceſſiſſet ad Galliam; quippe, dum incertæ res feſtinandum eſt, ne artes & vota æmulorum tarditate incitentur. Cùm autem Gregorius itellexiſſet, eum in Italiam advenire, legato Philippo Boncompagno, uti memoravimus, conatus eſt ad ſe pertrahere, ut ore Pontificio regios ſpiritus firmaret: ac renitentem præclaris documentis inſtruxit: eſſe perduellium conſilia ſtatim opprimenda: conjurationis principes vel amovendos, vel tollendos: fratrem, ac Borbonium cautè haberet; reliquos veniæ ſpe, ſi cervicem inflecterent, & ſi duriùs inſiſterent, ſupplicij metu ſollicitos contineret; diſceret Caroli exemplo, illecebras blandientium timere: aulicæ adulationis finem eſſe exitium Principis; nuncium remitteret favori Barbarorum, quibuſcum contractum fœdus non minorem Chriſtianis rebus injuriam, quàm Gallicis ruinam intulerat: amicè ageret cum Hiſpano, cujus amicitia terror ſeditioſorum erat; Concilij Tridentini leges Galliæ approbaret; optimos conſtitue-

ſtitueret Sacrorum Antiſtites, unde Urbium ſalus: ac etiam tractum Avenionenſem tueretur, cujus calamitas contempta, non minùs incommodi, quàm invidiæ attuliſſet regiæ ditioni: Haud aliter nutantem regni fortunam poſſe conſiſtere, quàm armatâ Regis manu, & mente. Hæc fuêre Gregorij conſilia, quibus Hæreticorum pervicacia ſi non debellata, ſaltem debilitata fuiſſet. At Henricus maluit blanditijs ac facilitate augere incendium, cuj reſtiguendo ſeveritas ac ultio neceſſaria erant. Igitur profectus in Gallias, æmulis hoſtibúsque ad iniqua ſe accingentibus, ut eorum ſpei ambitioníque illuderet, munirétque nova ſobole regnum, iniit cum Claudia Lotharinga regias nuptias: invitâ Catharinâ, cuj metus ex aucta Guiſiorum potentia. Hic novæ diſcordiarum faces inter Guiſios & Catharinam; cuj favebant Franciſcus filius, & Borbonius, neque Rex liber erat à metu Franciſci, cujus ira moleſtior, quòd à pluribus fovebatur. Ubi hæc præcepit Gregorius, ne pulcherrima Europæ pars civilibus diſcordijs omnino arderet, & rex di-

ſcordia

ſcordia hæreſes fervèrent, acriore ſtimulo Henricum ſollicitavit, ut arma in ſectarios moveret, iretq; ipſe, ac fomitem originémque malorum regiâ conſtantiâ ſubmoveret, ſe illi in omne belli ſpatium quatuor peditum millia Pontificio ære ſuppeditaturum: in ancipiti rerum conditione inermibus, non armatis Principibus immi nere periculum. Inſuper centena aureorum millia (grande id temporis ſubſidium) ei donavit; conceſsitque, ut dimidiam partē eorum proventuum, qui ex Eccleſiæ patrimonio unius anni ſpatio in Gallijs conſtarent, ad regias utilitates attraheret, aliáque omnia ſpopondit auxilia, ut metum inopiámque, ſi qua Regi inerat, ad ſpem fiduciámque converteret; illud etiam conſilij addidit; ut ne fratrem aleret iratum domi, ſed aut honoribus ſibi conciliaret, aut cohiberet. Hæc cuncta fruſtra furêre apud Henricum, qui more Regibus inſito, maluit ſuæ aulæ genio, quàm alienæ prudentiæ aſſentiri. Mox tamen patuit, non ex vano Romanum Pontificem loqui; Diſceſſit enim Franciſcus ex Aula, irâ & milite potens, nec

ſine


ſine ſtudijs copiíſque Hæreticorum: quamquam is veritus, ne Gregorium offenderet flagrantibus ſectatorium obſequijs, miſſo Fayo, qui erat ei à ſecretis, ad Pontificem, profeſſus eſt ſuum in ſinceram Religionem amorem; ſe admonitum fuiſſe malorum, quæ miſeræ ſervituti quotidie in Aula impendebant, nec velle nec poſſe alienæ ambitioni gratificari, aut ſervire; ſectarijs haud ſe favere, ſed indulgere, ut Regi eos adjungeret; malle ſe erumpere ad inviſam libertatem, quàm ſpecioſum ſervitium conſectari, ſatis ſupérque riſiſſe Aulam, cujus ludibria ferre non poterat: quippe difficilimum eſt, media ſequi, dum extremâ urgent. Neque Gregorius Franciſci excuſationem acerbiùs, quàm ille vellet, accepit, ſed laudatâ ejus erga Catholicam Religionem volunrate, illud unum ſe dolere, reſpondit, quòd Regem deſerviſſet, à quo ſeparari, anceps, ac plerumque exitioſum; ſe tamen Regi perſuaſurum, ne quid ultioni daret. Acceſſit quoque ad Gregorium ab Henrico legatus, qui rogabat, ut ortam ex fratris æmulatione belli procellam, tanquam parens

componeret; nec abnuit Pontifex, misso ad Franciscum Fabio Mirto; sed itinere impedito, seriùs hic accessit, pace jam confectâ magis necessariâ, quàm honestâ. Verùm bella ex bellis seruntur, nisi semina bellorum excindantur, & Regna instar Navium semper jactantur, ubi anchora timoris non firmantur. Henricus impar severitati, eòque contemptui proximus, contumax Hæreticorum ingenium lenire conatus, magis excitavit, novísque tumultibus pressus, sensit demum Gregorij consilia propiora securitati fuisse, quibus dum haud paret, pacem eligit bello iniquiorem. Quod ubi Gregorius audijt, indoluit: precibúsq; & auctoritate, Catholicæ Religionis damna quà minuere, quà reparare, iniquæ pacis remediū censuit: Regem ipsum commonuit, ut contractam inde invidiam, anxiámque sui opinionem depelleret, sinceræ Pietatis constante cultu, & patrocinio; Catholicos non defuturos optimæ spei, quam Rex offerret. Atque ita planè accidit, quippe Catholici Religionis & Sacramenti vinculo arma animósque conjunxêre, atque in Conventu Blæsensi omnium

nium Ordinum principes, tam foriter eloquentérque Catholicæ rei, ac dignitatis Apostolicæ causam perorârunt, ut Rex palàm testatus fuerit, se pigere contractæ pacis: illusum sibi per Suorum consilia: superesse tamen optimum malorum remedium, favorem amorémque Catholici nominis, cujus honori Majestatem commodabat: fore, ut quamprimum Gallia intelligeret, Regi nihil esse antiquius religionis studio. Et reverebatur Henricus Gregorium, quem sciebat Galliæ probatum, ejusque causâ parcéndum famæ, ne temeritas gliſceret. Mox literas ad Gregorium perscripsit, pietatis ac prudentiæ specie laudabiles; eásque in Senatu Purpuratorum Pontifex recitavit, & commentavit: Nihil gratius accidere posse Reipublicæ, quàm ut Henricus vividam indolem, florentémque militaribus ornamentis animum, in rebelles & sectarios converteret: constanter præstaret, quod liberaliter promittebat: Galliam vindicaret ab Hæresibus, quarum insidijs nunquam in sinu credendum: extorres ageret eos qui exilium Regi, Regnóque mo-
 lieban-

liebantur ; Hoc unum esse discordantis Galliæ, immò Orbis præsidium, ut unius Religionis legibus regeretur. Ex hæresi discordiam nasci, ex discordia interire principatus, quorum potentia irrita est, ac vana, si discors. Obtulit etiam equitum peditumque auxilia: vim plurimam auri ex ærario Pontificio, & armorum sulphuratíque pulveris non leve subsidium misit: conciliavit illi plurimos, quorum opera bello necessaria foret; ac præsertim Anuillæ Toparcham, grande utriusque partis momentum, seu Regi, seu rebellibus faveret. Nec defuit armatæ Regis voluntati occasio armorum; Sectarijs, ejusdem Toparchæ oppida invadere ac diripere aggressis, odio & irâ, quòd is in partes, Regis concesserat; Magnus inde Catholicorum & Regis ardor contrà efferbuit, ac præcipuè Rogerius Bellagarda, Gregorio auctore, sectariorum impetum fregit, oppidis, quà receptis, quà munitis. Et sanè debellatum fuisset cum Hæreticis, nisi Rex maluisset bellō abstinere; pace sancitâ, non sine ingenti rerum ruina, quæ semper certa est, dum incerta consilia sectamur. Catharinæ

rinæ artibus plerique hanc Henrici facilitatem adſcribunt, quòd illa & ipſi Gregorio ſuadere tentaverit, ut Regem ad pacem alliceret; Sed Gregorius conſtantiæ ac religionis tenax, ſibi, ait, haud unquam probari poſſe pacem illam, cujus pretium erat extrema Galliæ calamitas: bello pacem peti: ex immatura pace bellum naſci æternum Atque hæc omnia eventus probavit, nam & Hæretici, quorum dux Borbonius, & Catholici, duce Guiſio; conſpirârunt in Henricum, qui peſſimo conſilio, dum nulli vult eſſe inviſus, ſuſpectus omnibus fuit, & quia ſuſpectus, magis inviſus; Gregorius tamen rogatus ut fœdus probaret, diſertè reſpondit, ſe nolle turbis ac bellis immiſcere, etſi non poſſet non probare ea, quæ Religioni expedirent; atque hoc prudenter dictum re ipſa adſervit, cùm magnæ authoritatis viris ſuadentibus, ut incertam Gallici regni ſucceſſionem firmaret, omnino abſtinuit, gnarus, alia eſſe Religionis, alia Regni negotia.



Cap. XXII.

Germaniæ opitulatur.

POstquam Lutheri perfidiam toleravit, non minori Principum, quàm populorum calamitate, Germania infra Romanam pietatem vivere cæpit, eoque maximè à se ipsa descivit: veterum abjecto ritu, & animo. Hinc aperto ad nova bella, novásque hæreses aditu, procacibus laborabat ingenijs, quorum gliscente audaciâ, civile quoddam exarsit incendium, exitu luctuosum, & animorum discordiâ æternum. Et quamquam corruptis plerisque Urbibus, constanter agerent plurimi Principes, non ignari, mobiles vulgi animos, nullâ re magis in fide dominantium, obsequióque contineri, quam Catholicæ studio Religionis; tamen erat atrocior hæreticorum impetus, quàm posset cumprimi, Vulgo ad nova promptiore. Igitur cum in dies pericula coalescerent, ac deteriora semper metueret conscia malorum, & consiliorum incerta Principum mens, Gregorius opportuna subsidia paravit, ut sua

rediret Septemtrioni forma, compressis hæresibus. Neque arma, sed studia literarum instruxit, quibus facilè vertitur Provinciarum status. Primò Collegium Alumnorum Germanorum à Julio III. operâ S. Ignatij Loyolæ Romæ excitatum, locuplete proventu ac numero amplicavit, adeò ut quinquaginta eo tempore supra centum ibi alerentur adolescentes, optimæ indolis ac spei, qui deinde Religioni Catholicæ servirent, ac instar fortissimorum militum Ecclesiæ aciem sustinerent integrâ pietate. Adivit ipse domicilium, lustravit cubicula, compellavit Juvenes, observavit victum, Pontificiâ manu contrectavit vestes, & cuncta ferè eorum officia ministeriáque perpendit amanter, non more judicis aut principis, sed parentis. Quo spectaculo vertit in se omnium ora, & corda, præsertim Principum Germanorum. Et sanè Germania tunc optabat nihil magis, quàm ut in sinum Pontificis reciperetur. Auxit hanc benevolentiæ famam Caspar Gropperus eò missus cum Nicolao Elgardo, ut res jacentes consilio & doctrina erigerent; Inde maxima Gregorij fa-

ma apud Germanos, ut penè omnia ad eum referrent. Comes Salentinus ab Isemburgo, Archiepiscopus Coloniensis, & Joannes Argentorati Antistes auctoramenta dignitatis, quod ante abnuerant, à Gregorio efflagitavêre, quasi minime liceret uti dignitate, quæ Gregorio non approbaretur. Herbipolitani ad Julium Echterum, Augustani ad Egolphum Cnoringenium detulêre sacros fasces, quòd hi pietatis studio insignes à Gregorio amarentur. Neque Pontifex ullas omisit artes, quibus hanc benevolentiam mereretur, eóque faciliùs insurgentem paulatim Catholicæ Religionis auctoritatem extolleret. Germaniæ negotia, rogatus à Cæsare, fidei ac industriæ Ludovici Madrutij commisit, illíque attribuit opulentum Sacerdotium, quò sanctiùs & minùs timidè rem gereret. Octo Purpuratis id curæ imposuit, ut bona, maláve Germaniæ explorarent, excogitatis remedijs mala minuerent, bona foverent; Leniri posse calamitates populorum benevolentiâ, & subsidio. Augustam Societatis Jesu Patribus accersitis, adversus hæreses munivit. Pios

ac

ac nobiles Episcopos, cùm licuit, illustrioribus Urbibus obtulit, ut nobilitate, quæ penes Germanos loco gratiæ est, firmaret Religionem, darétque Ecclesiis Præsides simul, & præsidia. Hussitarum tentamenta, præsertim in Bohemia, depulit, restitítque constanter efflagitantibus, ut ijsdem Hussitis liceret admovere homines sacris ministerijs ordinibúsque; verebatur enim, ne Schismaticorum, Hæreticorúmque auctâ auctoritate, error, quoque augeretur; quippe Hónor non minus alit errores, quàm artes; Neque unquam adduci potuit, ut ab Monasterij Episcopo Adiutorem sineret adoptari Principis nobilissimi filium, quamquam & Cæsar & Urbis Sacerdotes exposcerent, certus nihil posse periculosius à Romano Pontifice committi, quàm ut Ecclesias ijs hominibus credat quorum fama aut familia suspecta; Is etenim Princeps nescio quid Hussitarum erroribus indulgere ferebatur, eumdémque, interpositâ Cæsaris & Bavari potentiâ, deterruit, ne accipientibus Eucharistiam, opptatum Calicis usum concederet; neu arrideret Hæreticorum votis,

petitionibúsque, quibus assentiri, summi discriminis res erat; atque ut omnem illi spem adimeret, extincto Monasterij Episcopo, Maximilianum Austriacum obtulit, qui moliore fortunâ Urbi præficeretur Antistitis loco. Sectarios Aquisgrani & sacra & senatoria munera per vim obeuntes, acerrimè coërcuit, ne Urbs & imperij Romani diademate, & Catholicæ fidei studio prænobilis, in casum daretur, ac scelus. Consuluit Lubecensium Canonicorum securitati, compressâ tum Episcopi hominis perditi audaciâ, tum Senatûs infensi auctoritate increpitâ, & etiam eluso Principis cujusdam Hæretici conatu, qui assumptâ, uti mos est, Hæreticorum arrogantiâ, Catholicos ritus moresque abolere minabatur, nisi Gregorij metu consedisset Principis impetus. Colmariensem Clerum ab Adversarijs afflictum, omni ope recreavit, terrorémque incussit hominibus, quà Sectarijs, quà suspectis, ac etiam Catholicis ad infanda pronioribus: haud impunè vexari vel Religionem, vel Religioni addicta capita. Eos autẽ qui Catholicos spiritus, abjectâ hæresum indole,
reci-

reciperent, amantiſſimè complexus fuit, quòd plurimùm intererat ad famam dignatemque Pontificis, Inſtar filiorum haberi, qui ſe redderent Eccleſiæ: Provinciam obtrectationis, & odij avidam non aliter, quàm Pontificiâ benignitate traduci ad cultum amorémque Apoſtolicæ Sedis, cui non rarò pro imperio Clementia fuit; Itaque Præconem Hæreſum, facti mentíſque pœnitentem, benignè admiſit, aluítque de ſuo; & alios quoque plures, ubi audiebat ad meliorem frugem converti, oblatis, miſsíſque opibus retinebat firmius; nam experimento liquebat Pleroſque ad Hæreſes, hæreticorúmque commercia compelli paupertatis, odio, & deſperatione fortunæ. Adeò miſeri ſumus nos Mortales, ut magis fortuna, quàm Pietas cordi ſit. Contrà eos, qui Catholico nomine ad fraudem Catholicorum abutebantur, inexorabili vltione, vel in ſupplicium, vel in ex lium vocabat; & comperto, Religioſum hominem, inter ſuos auctoritate inſignem, conſuetudine hæreticorum in ſuſpicionem veniſſe àpud Germanos affectate hæreſis; quamquam haud ſolebat

ex rumore ſtatuere, ſtatim auctoritate, provinciáque abdicatum, ex Auſtria in Italiam juſſit deportari: quippe Religioſis hominibus vel ipſa criminis ſuſpicio pro crimine eſt. Sed illud maximè contendit Gregorius, ut nutantis Germaniæ animos, & gliſcentium in dies Hæreſum artes compeſceret, in Germaniam remiſſis Adoleſcentibus, qui Romæ deſtinato in Collegio Catholicæ Religionis ac bonarum artium documentis informati fuerant; nec fefellit conſilium. Siquidem hi modeſtiâ & nobilitate ſpectabiles, incorruptis moribus arguebant Hæreticorum nequitiam, & conſtanter veritatem profeſſi, penes Vulgus, & Nobiles venerationi erant, quæ inde major, quòd iniqua fama percrebuerat, Romæ non virtutes, ſed ſcelera foveri; atqne ex mala fama gravius interdum periculum, quàm ex mala doctrina; Hanc ob cauſam, quia primi fidem famæ conciliant oculi, Nobiles Epiſcopos in Germania modeſtiæ admonuit, deteruítque à multarum Urbium adminiſtratione; nam hoc ſpectaculo hæretici offendebantur, & incitabantur Ca-

tho-

tholici ad invidiam. Et ipſum Erneſtum Bavarum ſibi gratiſſimum, quòd jam fuiſſet Antiſtes Leodienſis deſignatus, vetuit ad Monaſterienſis Eccleſiæ principatum accedere, non quia utrique par ille non eſſet, ſed ut ejus modeſtia agnita, alijs exemplo foret. Graviter incuſavit, fortitérque continuit eos, qui ſpecie oſtentandæ potentiæ, ſeu odio pietatis, prohibebant Salisburgenſis Archiepiſcopi Adjutorem ſuo muneri fatisfacere: Cavebátque omnino, ne Antiſtitum ignavia inſidijs Hæreticorum locum daret, eóſque cum imperio ac poteſtate ad officium excitabat, ſi quando invaleſcebant Hæretici, quos nunquam quietos ſinebat aut ſecuros, ſed ubique exturbabat, velut venenata ſemina, quæ dum ſinuntur adoleſcere, omnia corrumpunt. Spirâ, Herbipoli, Baſileâ, Argentorato, aliíſque innumeris urbibus eos abarcuit. Gheuſios Coloniâ depulit, & Calvinianos eò ſe per dolum inferentes. Halberſtadio inhiantes removit. Tirolim, Carinthiam, Stiriam, aliáſque provincias ab horum audacia, ſervitióque pro viribus
 vin-

vindicavit. Rhenano tractui operâ Joannis Gropperi prospexit; missísque in omnes partes Apostolicis Nuntijs, præsertim Elgardo, & Alexandro Trivio, ac Viris pijs è Seminarijs vel aliunde accersitis, Archiepiscopum Moguntinum, Administratorem Bambergensem Fuldensem Abbatē, cæteróśque Antistites extimulavit ad explorandaa, lustrandáque sibi commissa oppida, ne atrocior esset errorum pestis, dum occulta, adeóque insanabilis. Maximilianum Cæsarem, eíque succedentem Rodulphum, cunctósque Catholicos principes sollicitos semper habuit, ne quid Sectariorum ferociæ, licentiæ que tribuerent, impavidi adversus minas, illibati adversus blanditias; Nunquam esse nimiam Principum pro Ecclesia constantiam; verbis, dolísque feroces Hæreticos, demum pavere, ac frangi, nisi timeant ipsi Principes, quorum vultus potentiam spirat. Neque solùm mediocris notæ hominibus, prava opinionum serentibus obstitit, sed etiam Dynastis quorum impetum aversus Catholicos nec dissimulari debere, nec posse tolerari, censebat: Saxoniæque Ducem

Lusatiæ prava dogmata per suos præcones insinuantem, avertit à consilio Catholicis perniciosissimo; nam Gregorius scriptis ad Cæsarem literis, metum injecit illi, ne Cæsarem offenderet, dum Pontificem offendebat. Præterea quòd Religiosæ familiæ, ac literatæ Academiæ, Seminaria sunt sinceræ pietatis ac doctrinæ, nisi ad otium segnitiémque degenerent, insitâ quadam mortalibus licentiâ; Dilinganam Academiam sustinuit pæne præcipitem; Coloniensem purgavit, cæteras ornavit; Religiosis autem viris ut vitâ & moribus nomini essent pares, infra turbam viverent, seriò præcepit; non ignarus, eorum facta ad rem, pietatémque publicam pertinere, ac validiora esse vitia ad exemplum sceleris. Ad hæc nihil se præstare existimabat, nisi concilium Tridentinum Germaniæ approbaret, nec unquam destitit Principibus Vrbibúsque commendare: *Necessariam esse hanc Germaniæ medelam, ut aliquando convalescat.*

Cap. XXIII.

Germaniæ Principes beneficijs, & benevolentiâ prosequitur.

VErùm publica Germaniæ mala modum excesserant, insolénsque sectariorum audacia lacessebat ultionem; verebatur etiam Gregorius, ne paulatim hæresis invalescens anteiret, vanámque redderet potentiam Catholicorum, quibus graviora pericula impendent ex toleratâ, quàm oppugnata hæresi. Ergo transgressus est à pacis artibus ad belli consilia, totúsque in eâ cogitatione fuit, ut quæsitâ Catholicorum conjunctione, ac instaurato Lanspergico fœdere, vim & arma hæreticis intentaret: communibus viribus facilè extingui incendium, cui singuli aut pares esse nolebant, aut non poterant: absque invidia Cæsarem, & absque metu reliquos Principes illi bello se impendere, cui principium & manum offerebat Pontifex: trepidaturos ubique gentium Sectarios, & fortasse daturos locum pœnitentiæ, si armatum & severum Pon-

Pontificis Catholicorúmque ingenium animadverterent: hæreticæ audaciæ alimenta præcipua esse, disiunctos ac divisos nostrorum animos. Jámque re deliberatâ propior erat cæpris, cùm arcanæ prudentiæ ferax animus novam ingessit cogitationem, Contumaces animos facilè in desperationem agi. Quid si Hæretici Othomanum accirent, malléntque Barbaris, quàm Catholicis servire? Nihil posse optabilius Othomano accidere, quàm potiri Germaniâ, quò toties & vota & vires converterat: quale subsidium fore in eo bello, quod omnes declinarent? Germanis quà animum, quà vires deesse: Hispanos bello premi Galliam turbatam: & Italiam quoque malis obnoxiam. Igitur ne specioso belli titulo Rempublicam in casum daret, Religionis adminicula quærere cœpit, dissimulatâ potentiâ, cui semper comes invidia; & auctâ benevolentiâ, cujus artes tutiores; nam plerumque valida & acria consilia periculosa. Igitur ratus, amore Pontificis odium hæresis stare; Germanos Proceres ad se allicere, qua collatis beneficijs, quà suppeditatis adjumentis;

mentis; & sponte occasiones benevolentiæ aucupabatur. Maximilianum & Rodulphum Cæsares, Archiduces Austriacos, Albertum Bavarum, Antistites, Septemuiros, omnésque majorum minorúmque gentium homines prono favore amplexus, plus potuit per benevolentiam, quàm alij per minas volunt. Ita enim se Gregorius semper gessit, ut futuri ambiguus, amandi potiùs quàm ulciscendi aculeos relinqueret: Optimos quidem Principes expetebat, sed tolerabat mediocres, ne in deteriora laberentur, lubricâ in omne scelus ætate. Nec irascebatur principibus Acatholicis aperto odio, sed malebat infensos lenire, gnarus, non alio vinculo innecti corda etiam Principum, quàm Charitatis, eóque vincebat. Augustus Saxoniæ Dux, non mali Ingenij Princeps, vehementiùs in novas Sectas, præsertim Calvinianorum, cœperat exardescere, evulgatáque Gregorij erga Germanos benevolentiâ, tacito, amore in eum ferebatur, spémque faciebat Catholici animi, si foveretur; inerat illi summa potentia, & potentiæ additamentum, egregia indoles;

Ergo

Ergo Gregorius rem ſeriò aggredi; Auguſtúmque per Archiducem Ferdinandum, & Albertum Bavariæ Ducem, ſanguine amicitiáque conjunctos, ac per ipſum Cæſarem amanter ſalutare, hortari ad Lutherum deſerendum. Et palàm Auguſtus jactavit, mregorij Decimi Tertij vigilantiâ Catholicam Religionem niti, alioquin caſuram; & Gregorio ſimiles Pontifices ſi forent, fore eos non modo Eccleſiæ, ſed etiam Orbis Terræ principes; neque alia illum cauſa retraxit à conſilijs Gregorij, quàm inanis pudor, quo nihil ineptius, nihil potentius in rerum mutationibus; quaſi infra majeſtatem ſit, abdicare innatâ ſtudia. Jam verò Catholicis Principibus non modò non iraſcebatur, ſed clementiùs favebat; certus, pari affectu à Catholicis & Religionem & Pontificem amari. Erneſtum Bavariæ Ducis filium magnificè in ædibus Vaticanis exceptum, aluit pluribus menſibus cum tota familia, Pontificio amore, ſumptúque regio: & conſilio quoque ac ſubſidio fovit, ut par generi, gratiórque Parenti rediret in Germaniam, referrétque propitiam Romanæ Aulæ voluntatem.

tem. Jacobum etiam Fridericum, Ernesti Consobrinum, pari pompâ & liberalitate suscepit; Neque unquam splendoris ac magnificentiæ partes omisit, ut Religionis ac pietatis majestas eluceret; Principum enim ac Populorum animi, sordidum & avarum pectus aspernantur, maluntque obesse, quàm subesse auri cupido. Andream, Archiducis Ferdinandi filium, etsi ætate minùs promptum, novem scilicet ac decem annos natum, Romanâ purpurâ donavit, atque hoc nobilitatis additamento & consuluit Germaniæ, & Ferdinando optimè de Ecclesia merito gratificatus, indicavit, esse etiam aliquod præmium Nobilium pietati. Mariam verò Augustam, Rodulphi Cæsaris Matrem, in primis diligebat, quòd Catholicam Religionem tueretur, eámque Germaniâ excedere molientem retinere conatus est, tum ne Germania hoc præsidio nudaretur, tum ad confirmandam in Religione denfendendâ Rodulphi constantiam: eam esse rerum conditionem, ut si deesset Principum benevolentia. Religio minùs foveretur: panderet sinum provinciæ, quæ illi

illi solium erat, ac theatrum. Sed cùm illa omnino discessum adornaret, rogavit, ut Rodulpho Pragam Bohemiámque, obtectis, apertísque hæresibus obnoxiam commendaret, eíque faces adderet, ad Calvini semina nuper nata excindenda; Nobiles factionum avidos metu comprimi; plebem voluntate Principis allici: posse convelli quamlibet Sectariorum molem ostensâ Cæsaris irâ. Demum misso Francisco Toleto è Societate Jesu, quem illa sponte accersierat, exquisitissimis muneribus, & benevolentiæ argumentis eam cumulavit, Germaniâ egressam, & Genuæ se inferentem. Tantus in erat illi erga Catholicos Germaniæ Principes amor; Hæc tamen magnitudo benevolentiæ, nihil detraxit auctoritati, cujus retinens fuit, dum indulgebat charitati. Possem similia non pauca memorare, sed alibi indicata, satiùs est prætermittere: Mors certè Caroli, Cliviensis Principis filij, omitti non potest; neque enim amor magis se prodit quàm in suprema calamitate. Accesserat hic nobilitate pietatéque eximius adolescens ad Gregorium, Romana templa

templa veneraturus, & suo & Parentis Henrici nomine; & in ædes Pontificias receptus, benignéque ac decore habitus, ex arserat cupiditate spectandi Neapolim, cujus situm amænitatémque commendabat fama, quæ apud Juvenes gratiosa est; Neque audebat permittere Pontifex, seu futuri sollicitudine anxius, more parentis, seu ratus, juvenilem licentiam difficiliùs retineri posse inter delicias, quibus Urbs illa floret. Tandem consensit: ne indiffidentiã, suspicionémq; traheretur nimia benevolẽtia, quasi alijs invideret hoc decus; Verùm præsagientis animi moram in faustus reditus comprobavit; Nimirum fato quodam senes de adolescentibus vera judicia ferunt; & Gregorio summa quædam vis adfuit perspiciendi futura; non audaciâ sentiendi, sed experientiâ, quæ senibus auctoritatem facit. Rediit ergo Romam Carolus; sed valetudine per nimiam ludorum, voluptatúmque licentiam corruptâ, & etiam dolore immodico æger, quòd homo sibi gratissimus in rixa cecidisset, vix Urbe conspectâ in febrem incidit, incalvítque miserabiliter. Statim res ad Gregorium

gorium perfertur, qui ut remedijs morbum expugnaret, ſex illi præſtantiſſimos Medicos adjecit, juſſitque duos alternis horis ex ijs mutatâ opera, diu noctúque adeſſe; Nec ſatis amori hæc cura; ſed monito Parente, ad omnia ſeſe convertit, quæ ingenium amoris ſollicitante dolore, novit excogitare. Sæpius ægrum inviſere per ſe; in momenta percontari de remiſſione, vel æſtu morbi: Medicos pænè impatienter accire, ut nihil prætermitterent neceſſariæ induſtriæ; Non labori ſumptuíque parcerent; ſibi fore illa remedia gratiora, quæ pretioſiora; nec erubit Rector generis humani, tam accuratè unius adoleſcentis inſervire valetudlni, ut videretur nihil aliud agere; quamquã nihil gravabatur aliarum rerum curâ, dum procurabat Charitatis negotia, quæ Dei Vicario ſupra reliqua cordi eſſe debent. Viſus eſt Carolus aliquantulùm convaleſcere, ſed repentè febris vehementius exarſit, eúmque ad extrema deduxit. Hoc ille morbi impetu preſſus, & morti propior, ſuæ homines familiæ ad ſe vocatos prolixa oratione commonuit, de Gregorij erga ſe charitate;

tate; redirent in patriam, & Henrico parenti, consanguineis, & universæ Germaniæ exponerent, quàm amanter, quàm magnificè, & sanus & æger exceptus à Gregorio fuisset Carolus Cliviensis; nec à parente meliora, nec à Principe nobiliora benevolentiæ monimenta expectari posse; narrarent, qui vidissent; optimos esse hujus spectaculi testes, qui fuissent spectatores; Meminissent tamen ipsi, se quidem in ætatis flore, in summa spe, extra patrios fines & amores, quasi ostentum humanæ vanitatis, occumbere, hac una re maxime gaudentem quod occumberet in Gregorij sinu: ac paulò pòst Evcharistiâ munitus, salutaribúsque pietatis Christianæ, Catholicæque Ecclesiæ præsidijs instructus, fato concessit. Mortuo non sine lacrymis parentavit Gregorius, sacróque peracto, Cadaver cum pompa & comitatu jussit in Templum Germanorum deduci, ibíque convestitis honore carminum parietibus, additóque emortuali concentu, egregio tumulo illud componi, Româ non minus dolente jacturam adolescentis, quàm Gregorij Charitatem laudante,

laudante, quæ & ipſi Germaniæ in primis gratiſſima accidit; Henricus certè Caroli parens gratias egit Gregorio ſummas, & quamvis filium ſuſpiraret ademptum, pro ſolatio doloris habuit, eum per Gregorium & Romanam Eccleſiam Cælo oblatum.

CAP. XXIV.

Præſidia parat adverſus Othomanum.

SÆvior fama ex Oriente manaverat, novam & planè formidandam claſſem ab Othomano parati adverſus Chriſtianos; quibus ob inteſtinas diſcordias, vel leviſſima Hoſtium tentamenta eò graviùs timenda ſunt, quò minùs timentur. Itaque Gregorius, miſſo Jacobo Boncompagno ad Pontificiæ ditionis litora, validiùs munivit ea loca, quæ obvia, obnoxiáque excurſionibus Barbarorum jacebant; & ne quid Chriſtianis rebus incommodum Othomanus moliretur, adjecit animum ad novum fœdus cum Hiſpanis, Venetíſque feriendum. Plura afferebat, quæ videbantur Hiſpanos poſſe allicere. Non mino-

rem imminere Hiſpanis ditionibus ab Othomano metum, quàm reliquis; minores tamen fore ſumptus ad expediendum bellum, ſi ab ipſis, Pontifice, Venetíſque conjunctis, Othomanus premeretur: perduelles in Belgio territum ac repreſſum iri, ſi feliciter adverſus Turcas pugnaretur, ſeu relatâ victoriâ, ſeu nobilioribus oppidis occupatis. Sed Hiſpanos alia deterrebant; Non eſſe paris operis, promittere, ac præſtare: neceſſarías fœderi conditiones accipi poſſe, expleri vix poſſe: ac fruſtra opes, quibus Afri, Mauri, Piratæque arcendi erant, conferri in Orientem, oráſque remotas, vel modico vel nullo expeditionis pretio: denique poſt exhauſtas Hiſpanias, Venetos, invitis etiam Hiſpanis, cum Othomano in gratiam redituros; atq; ita ſemper Hiſpaniæ illudi dum Hiſpania exhauritur. Hæc dum agitantur, Othomana Claſſis Tunetanum Regnûm invaſit, Sinamo duce, qui auctus Barbarorum propè degentium auxilijs, intra quadraginta dies, non modò conditam paulò antè ab Hiſpanis arcem occupavit, ſed etiam Tuneto potitus fuit, & Golettam expugna-

gna-

gnavit, modico militum præſidio, ſed ingenti armorum copiâ munitam, captis etiam Gabrio Serbellono, aliísque inſignibus viris, pari damno, ac dedecore. Atque hic libet Gregorij prudentiam avertere, qui Philippo Hiſpaniæ Regi auctor fuerat, ut Tunetanum Regnum viribus, animísque ab Hiſpanæ potentiæ corpore avulſum, Joanni Auſtriaco attribueret; Non facilè amitti regna quæ præſentia Regis firmantur; quod conſilium ni abnuiſſet Hiſpanus, fortaſſe vel adhuc Hiſpaniæ ſerviret melior Africæ pars, vel Othomanus abſtinuiſſet eâ prædâ, quæ fortiſſimi Principis in manu erat. Sed redeamus ad novi fœderis apparatum, quem Gregorius omnino adornabat, ut eluctaretur Othomani furias, quibus in dies Orbis Chriſtianus concutiebatur; Igitur propitiato per preces & ſacrificia Numine, non modò Hiſpanos, Venetos, aliósque principes Italiæ, ſed Germanos quoque pertrahere contendit ad bellum Othomano indicendum: Summo in diſcrimine ſemper verſaturam Germaniam, ſi formidoloſum hoſtem intra fines, atque in ſinu

armatum semper, ac minacem sentirent: timerent, ne Catholicorũ flagitijs, erroribusque degenerantium ab Ecclesia populorũ; commotus Deus Græciæ supplicium in Germaniam verteret: specularentur calamitosam tot provinciarum fortunam: Othomanæ ambitionis esse, nulli regno parcere; non esse ambiguam jacturam, ubi certus est hostis, & nisi is procul Germania depelleretur, suam quoque posse facere Imperij Romani sedem: nomina diversa esse, Germaniam, & Græciam, ceterùm eodem ambitionis impetu facilè in unum coalescere. Et quamquam haud ignorabat, se rem agitare difficillimam, distractis civilia in bella Germanis, tamen communis officio Parentis ne deesset, ea significavit, quæ exequi tutum. Deus arcanis cladibus Othomano inflictis, sustentavit Gregorij spem; quippe pestilentiâ Constantinopolim vexante, vix Barbaris superfuêre vires ad vitam, cujus discrimina altiús metuuntur, quàm bella amantur. Præterea Gregorius in Othomanum sollicitavit Æthiopum ac Persarum Reges; missis in Æthiopiam Joann.
Bapti-

Baptistâ Britio Cosentino, & Josepho Baleono scloporum fabro, in Persiam verò Joanne Baptistâ Vechietto Florentino, qui re feliciter peractâ, quinque post annos Romam remigravit. Insuper reverso Legato Lusitano, quem ad eundem Persarum Regem destinaverat, junctis Hispani ac Lusitani Regis literis, incredibili gaudio recreatus fuit, tanquam certus melioris fortunæ; siquidem hic legatus magnificè à Persis exceptus, reddidit plenas benevolentiâ & humanitate epistolas, quibus Rex suam Gregorio Christianísque Principibus operam, opémque offerebat, se ubique insidiàs & bella Othomano moturum; adessent Christiani, viré que adderent; nec dividerent auxilia, quæ conjuncta vinci non possent: angustiorem fore Othomani Dominatum, si Christianorum, Persarúmque viribus premeretur, Persis non deesse audaciam, nec vires Christianis, ad iniquum hostem debellandum. Cur sinerent expertem ultionis, gloriosum tot Christianorum spolijs Tyrannum? Verùm diversis jam Christianæ gentis rebus, & plerisque Principibus ad

privata se consilia referentibus optari potuit, non confici fœdus. Raró quemquam Principum mœstiorem ulla clades affecit, quàm Gregorium hæc remissio conspirantium animorum adversus Othomanum, adeò ut cùm didicisset, ab Hispano triennes inducias cum Othomano susceptas, maluerit irasci Hispano, quàm indulgere, questus, ademptam sibi Christianæ Reipublicæ vindicandæ facultatem; Et sanè quamquam consilia Principum scrutari anceps, ac incertum sit, tamen illud affirmare de Gregorio licet, illum non inani spe, sed constanti validáque mente sua omnia eò retulisse consilia, ut non minùs Hæresibus Germaniam, & Galliam, quàm Othomanis furijs Græciam, & Orientem levaret. Excelsa scilicet mens vulo nec timere, nec posse timere.

Cap. XXV.

Hispaniæ favet, ac prospicit.

MAgnum potentiæ corpus magnis quoque dissensionum morbis jactatur, & opus est dominantium solertiâ, quæ laborantis imperij membra sagaciter inspiciat,

ciat, foveátque benignè. Atque hac de causa Gregorius cùm intelligeret, Hispani Regis potentiam id temporis propugnaculum esse Religionis Christianæ, adversus Othomani & Sectariorum vim, nihil omisit, quo Regi studeret, ejúsque seu pietatem incitaret, seu potentiam confirmaret, tollerétque ea mala, quibus magnũ corpus si non convellitur, certè debilitatur; Ideo suasit illi, ut suam opponeret præsentiam tot rerum motibus, quibus & Belgium, & aliæ Provinciæ quatiebantur: graviora è Principis absentia insurgere pericula: & Bella instar nubium evanescere, antecedente Principis vultu, velut aspectu Solis, Sed Philippus tenax consilij, in quo præcipuum dominationis arcanum reposuerat, ne se in casum daret, vel (ut ipse jactabat) ut propiùs aurum Indicum exciperet, maluit ex Hispania, tanquam ex Imperij corde, afflictis partibus mederi. Et quamvis ægrè ferret Gregorius hanc Philippi in Hispania moram, tamen haud omisit ea suppeditare, quæ potuit firmandæ potentiæ adjumenta; cùmque ille efflagitasset ad leniendos sumptus, quibus

& classem & Bellum pro Religione instruxerat, ut sibi liceret singulis annis quadraginta aureorum millia è sacræ rei patrimonio, ad publicas utilitates derivare, tandem consensit, sed infortunato exitu, spectaculóque populis ingrato; memorant enim, cùm hastæ subjecti essent agri, qui Regis in potestatem venerant, neminem ausum esse eos emere, sed horrore quodam persusos Cives vidisse, ac fugisse, atque adeò jacuisse prædia illa inculta: tanto etiam Philippi metu, ut abstinere pium duxerit, ac necessarium, eâ pecuniâ, cujus pretium odium populorum erat. Amabat præterea Gregorius Philippum privato publicóque affectu, & usuvenit aliquando, ut cùm uterque graviore Corporis valetudine vexaretur, sui oblitus, non nisi meliorem Philippi conditionem exoptaret; atque hoc Pontificiæ animæ proprium credidit, bene velle Regibus, nullo sui respectu, aut suorum, quos sibi, & Ecclesiæ addictos volebat, non Principibus; vetuítque Philippum Boncompagnum opulento pensionis reditu ab Hispanis ornari, ne fides obligaretur,

quæ illibatior eſt repudiato munere. Illud etiam cavit, ne benevolentia detraheret auctoritati, neu ſtudium retinendæ auctoritatis benevolentiam minueret. Itaque etſi in dies de Jurisdictione inter utriusque poteſtatis Regiæ & Apoſtolicæ adminiſtros controverſiæ ferverent, nihil ſimultatis inter Gregorium & Philippum interceſſit, ſed honeſtiſſimis verbis alter alterum laudabat: ſua quisque tueri, nunquam iraſci: quamquam Pontifex non ſemel viſus eſt Philippum incuſare, quòd pactas cum Othomano inducias nollet frangere, ne fortunam formidine neceſſariâ falleret, aut ne diſpergeret incaſſum vires; & præterea ſemper obſtitit, cùm Regis nomine ea petebantur, quæ ad Eccleſiam pertinebant, vel extra jus regium erant; neque tamen viſus eſt unquam Rex indignari, ſed potiùs æſtimabat, & amplectebatur Gregorij æquitatem, quæ nullis minis langueſcebat, quia non inconſulto impetu agebatur: nam revera & ipſi Reges probant Pontificis conſtantiam. Abnuebat Gregorius permittere Philippo Hiſpanienſis Eccleſiæ proventus,

ſeu quia alios conceſſerat, ſeu ratus iniquum, ſuis Eccleſiam opibus exhaurire: quod cum ægrè ferret Joannes Zuniga, qui ad Pontificem à Rege legatus id fruſtra contendebat, ſignificavit Philippo, agendum eſſe acriùs cum Romana Aula; & Rex approbato conſilio, vehementiores literas ad Gregorium dederat, atque ut magis terrerent, manu regiâ exaratas. Eas ubi perlegit Gregorius, expers timoris, ac iræ, paucos, & ipſe remiſit Pontificiæ majeſtatis characteres, quibus ſuam probavit conſtantiam, oſtendítque, non Pontificem à Regibus, ſed Reges à Pontifice regi. Quo conſtante reſponſo accepto Philippus magis indoluit, ſe diſplicuiſſe Gregorio, petitáque ſcripti veniâ didicit, non per dura & aſpera, ſed molliore viâ Romanæ Aulæ gratiam captari. Eâdem in Gregorium obſervantiâ uſus eſt idem Philippus, cùm Prorex Neapolitanus iret imminutum poteſtatem Laurentij Campegij, qui Antonio Saulio Nuntio Apoſtolico diſceſſuro ſuffectus, Neapolim deſtinabatur; quippe Rex ſeverè admonuit Proregem, nequid ingratum

Grego-

Gregorio moliretur, nec violaret Nuntij auctoritatem. Et fato quodam plura obvenere gravioris iræ pericula, ob ejusmodi certamina inter Hiſpanos & Apoſtolicos Judices, quæ conjunctiſſimos Principes vel ſeparare, vel dividere potuiſſent, niſi & Rex, & Pontifex prudentiâ certaſſent; ille vulnera cohibendo; hic opportuna vulneribus remedia quærendo; tantóque ſtudio in hoc pacandæ diſſenſionis negotium exarſit Gregorius, ut demum æquitatem vel impetraverit, vel extorſerit; Siquidem optimum ac tutiſſimum ratus, non vi, aut arbitrio, ſed leniter deliberando cauſas irarum abſcindere, perpulit tandem Philippum, ad homines rerum ac juris ſcientiſſimos Romam mittendos, qui difficultates cognoſcerent, atque unà cum alijs hominibus à Gregorio deſtinatis, concordiæ leges acciperent, darent. Ergo ex Hiſpania miſſus eſt primum Petrus Avila, cui vix Romam ingreſſo & mortuo, longo intervallo temporis exacto, ſucceſſit Alvarus Borgia, & paulò poſt Jacobus Ricardus, vir ſingulari doctrina; & quamvis fama vulgâſſet, cum ſumma illos poteſtate ad componen-

das lites accedere, tamen famâ minor fuit potestas, nam jussi sunt testificari; si quid incompositum superesset, reliqua omnia velut incomposita habenda. Usque adeo libet de omnibus certare, nisi omnia vincimus. Delectis ad deliberandum Sanctacrucij Ædibus, cùm Hispani Vaticanum rejecissent, quasi obnoxium suspicioni, ob sedem Pontificis, eò convenêre, Joannes Zuniga, Alvarus Borgia, Franciscus à Vera, ejúsque loco Jacobus Ricardus, regiarum partium defensores; Pontificis verò nomine quatuor Purpurati, Sfortia, Ursinus, Maffeus, ac ipse Sanctacrucius, & præterea Pyrrus Tarus, Alexander Frumentius, & hoc in Lusitaniam misso, Joannes Antonius Facchinettus. Primùm relata sunt ea, quæ in Ditione Mediolanensi, veniebant in controversiam; deinde illa, quibus Neapolitanum Regnum ac Sicilia jactabantur; Hispania in postremum locum seposita; cùmque plurima composita essent, Nodus superfuit, qui solvi non potuit, adeóque gravis & laboriosa consultatio in vanum recidit, seu arte, seu difficultate spem
elu-

cludente: Certè Gregorius, nec sibi nec causæ defuit, sed omnia per se expendebat, antequam in deliberationem afferrentur, tam peritè ac doctè, ut ejus doctrinam prudentiámque fas reliquis esset mirari, non æquare. Sedis enim Apostolicæ jus, Dei patrimonium rebatur, nec labori parcebat aut studio, etsi fessus ætate; ut suo marte, non alieno tantùm ingenio, veritatem æquitatémque æstimaret: evoluebat antiquas tabulas, & publica monimenta, avidè non minùs quàm patienter. Quod accuratè præstitit, cùm Purpuratus Gesualdus Philippi nomine adfirmaret, Ecclesiam Tranensem ad Hispanum spectare, tanquam Jus Patronatûs regium (uti vocant) & ipse pernegaret, numerosa præteritorum annorum acta sponte relegit, ne alienis erraret oculis, dum Sedis Apostolicæ causa agebatur. Ut verò Philippum sibi Ecclesiæque Romanæ conciliaret, nulla prætermisit officij momenta, & in lætis rebus gratulari, & in adversis dolere, ac etiam monere, ut memor cælestis iræ, parceret Ecclesiæ auctoritati; mala interdum Regibus in-

gruere è cælo, dum Cælum in Ecclesia læditur. Eumdem solatus est, multiplici afflictum funere, Ferdinandi Primogeniti, Joannis Austriaci fratris, & Vincislai Austriaci; ac sub idem tempus nato regni Hærede Philippo III. recreatum, exprompto Pontificio gaudio confirmavit: insisteret spei: esse Deo curæ Hispaniæ fortunam; acciperet divinæ pignus benovolentiæ, subortam in tempore sobolem. Plura quoque sancivit Hispaniæ utilia, institutis per Episcopos adolescentum Seminarijs, & firmatâ in Urbibus eorumdem præsentiâ: Illuminatorum abrogatâ sectâ; sublatâ Cæsaraugustæ truci consuetudine, quâ privatæ simultates in Bella & prælia populorum abibant: Sacerdotijs, & animorum ministerijs ritè, atque ad probos, peritósque homines delatis, aliísque pluribus rebus, ad normam publicæ felicitatis vel compositis, vel institutis; vetito tamen Nuntio Apostolico aliquid agere inscio Rege, ut constaret Gregorio cordi esse Hispanam tum potentiam, tum benevolentiam.

CAP.

Cap. XXVI.

Sueciam ad fidem Catholicam adducere contendit.

NOn modò Catholicis imbuta moribus, ſed polluta hæreſibus Regna, ſuo quoque ſinu fovebat Gregorius, more optimi Paſtoris, qui ſiquid aberrat, revocat ad ſeſe, neque patitur deſtitutam comploratámque rem eorum eſſe, quî alienâ perfidiâ, vel ſuâ inſcitiâ arcentur à Chriſti Imperio. Hinc æſtus ille feruebat, per omnes provincias circumferendæ ſalutis; neq; ullas Chriſtiani nominis reliquias ſinebat perdidas eſſe, quæ aliqua arte induſtriáve ad pietatẽ animari, ac erigi poſſent, non ſemel accidiſſe, ut audentes occaſio & fortuna juvaret: certè Deus ipſe nulla magis negotia prouehit, quàm Religionis. Quapropter cum Sveciæ excitandæ ſeſe opportunitas obtuliſſet, nec temporis occaſionem ſprevit, nec diſtulit; Et hoc Regnum quò magis remotum, hòc magis optandum erat; nam facile eſt, vicinis adeſſe provincijs difficillimum retinere lon-

longinquas, præsertim alijs Sectariorum locis, moribúsque conclusas. Itaque vehementiùs in hujus regni salutem sese effudit, ut Gens, ingenio libera, & erroribus corrupta, assuesceret Ecclesiæ, Fidémque extolleret. Hisce provincijs imperabat Joannes III. Lutherianæ factionis Rex, qui Legatum in Poloniam miserat, sive amicitiæ cum Henrico firmiùs adnectendæ studio, sive aliâ causâ, more Regum, quibus vicinorum Principum initia, vel spem, vel timorem afferunt: Hic autem Legatus ut multarum literarum erat, ac Lutherianâ quoque labe inspersus, contractâ cum Vincentio Laureo Nuntio Pontificio, doctrinis omnibus instructo (uti fieri suevit inter doctos) summâ consuetudine, paulatim jactis de veritate sermonibus, & spectatæ probitatis exemplo, ad Catholicam Religionem accessit; hinc spes Laureo, fore, ut Rex Joannes, quà Legati operâ, quà Gregorio faces ingerente, Hæresim abdicaret. Itaque spei advenientis monuit Gregorium, qui in omnem propagandæ Religionis auram intentus, eò promptius spem arripuit,

quòd credidit futurum, ut Joannes ad fœdus cum Hispano feriendum pertraheretur, atque ita faciliùs geminatâ classe Belgio hæreticos pulsum iri. Quamprimùm in Sueciam destinavit hominem summæ nobilitatis, ac doctrinæ, ac prætere famâ susceptæ religiosæ vitæ ubique laudatum videlicet Stanislaum Vvarsevitium Societatis Jesu, qui ob præclara publicæ auctoritatis munera in Polonia præstita jam clarus, facili aditu Reginam, & mox Regem allocutus fuit, etsi non omnino Joannem ad Gregorij voluntatem allexit. Verùm Gregorius, cui cordi supra reliquas Principum virtutes, erat constantia, magnorum operum, & Heroum comes, reverso Stanislao Vvarsevitio, alium Societatis Jesu hominem in Sueciam misit, qui Reginæ gratissimus, de Catholica Fide publicè disserere cæpit, hæreticis haud obsistere ausis, metu ejusdem Reginæ, cujus studia plerumque Rex vel approbat, vel sequitur. Et sanè Rex jactabat, Fidei Romanæ, se ac suum Regnum velle restituere, Legatúmque hac de causa ad Romanum Pontificem destinabat;

bat; modò ille permitteret, conjugia Sacerdotum, sacram sub utraque panis & vini specie Synaxim, ac demum Sacrificia communi & populari sermone celebranda. Et quamquam Gregorius hoc tergeminæ difficultatis nodo penè cunctos Populorum à veritate desciscentium errores involvi, haud ignoraret, tamen sperabat, propositâ conditionum difficultate, proniorem ad consilia pietatis Regem, daturum facilè manus: cur ea impetrare vellet, quibus impetratis hæreses triumpharent? non alio colore suas effingi turbas à Sectarijs, quibus libido & licentia popularis, loco religionis sunt; Igitur benignè audire, nec spem Regis asperiore repulsâ percellere; sed officio, benevolentiâ alere; ac suapte sponte rogare Hispanum, ne Sueciæ Reginam Bariensis Ditionis proventu fraudari pateretur. Interim Rex ad Gregorium legavit sponte Pontum à Guardia Galla, qui privatim à Gregorio exceptus multis coram Purpuratis, obedientiæ, observantiæque regiæ obsequia detulit, ore calamóque testatus, Sueciæ Regem ex animo Sedi Romanæ studere,

ſtudere, recitatíſq; petitionibus paulò ante memoratis, efflagitavit; ut Gregorius ſapientem virum in Sueciam mitteret, qui Regem & inſtrueret Catholicis documentis, & abſolveret Conſcientiæ vinculis; Audijt hæc libenter Gregorius, & quia petitionibus nefas erat indulgere, quas expendi juſſerat, miſit cum eo Antonium Poſſevinum Societatis Jeſu, virum & doctrinâ & prudentiâ inſignem, qui cùm Pontus ex morbo conſtitiſſet in via, ſolus in Sueciam profectus eſt, modico tamen itineris fructu; quippe Rex ſeu mobilitate animi, ſeu aliorum ſtudijs, mentem aliò converterat: illud tamen effecit, ut Eccleſiæ Romanæ Inſtituta commendaret, eúmque ab Eliſabethæ Anglorum Reginæ, & Gulielmi Orangij amicitiâ abalienaret. Neque Gregorij conatus ex vano fuit, cui debemus Sigiſmundum III. Poloniæ Regem, hujus Joannis III. filium, nulli Regum, Catholicæ ac ſinceræ pietatis ſtudio ſecundum. Sic beneficâ tarditate compenſat Deus piæ ſtudium voluntatis, nec patitur demum eſſe absque

fructu

fructu semina laborum, quibus pietas propagatur.

Cap. XXVII.

Græciam & Orientem sublevat.

GRæcia, illustris olim Europæ provincia & pietatis ac sapientiæ ferax, sed paulatim hæresibus corrupta, & latinæ Ecclesiæ æmula, in servitutem abijt, amisso Imperio, & Imperij altricè Fide Catholicâ. Hujus ergo provinciæ malis conatus est mederi Gregorius, & quia plerumque, præsertim apud Græcos, ab ingenio errores manant, quòd tenax suæ famæ ac mentis natio errare mavult, quàm aliter credere; per libros primùm, à quibus petenda est sanitas ingeniorum, Græciæ opem ferre aggressus, duodecim millia libellorum, quibus mysteria Religionis explicantur, communi & Græco sermone conscripta, eò misit, liberaliter distribuenda, adiecitque plurima exemplaria Florentini Concilij, cujus Historiam & arcana Pontificio ære, ac præclaris typis evulgaverat.

Insu-

Insuper excitato Romæ Collegio, quod loci amænitate, salubritate domicilij, aliísque tum ornamentis, tum commodis perquam nobile habetur, asylum erexit Græcæ juventuti, quæ ibi Catholicis informata documentis, Romanæque in sinu Ecclesiæ educata, patriam & Cives ab erroribus vindicaret; quo consilio nihil præstantius, ad inveterata mentium mala tollenda, comendavítque Collegium fidei ac prudentiæ quatuor Purpuratorum Jacobi Sabelli, Gulielmi, Sirleti, Julij Antonij Sanctorij, & Antonij Carafæ, quibus illâ ætate nihil excellentius. Adivit quoque ipse ac Pontificio aspectu recreavit Collegium, magnum sanè firmamentum, ad Græciæ studia erga rem Romanam fovenda. Alia præstitit etiam non minoris benevolentiæ præsidia. Monachos Græcos per Calabriam, Apuliam, & utramque Siciliam dispersos, & ex ignoratione Græci veterísque sermonis, Religiosarum etiam legum, quæ hujusmodi sermone conscriptæ erant, oblivione contemptúque abductos ad sanctioris disciplinæ normam retraxit, S. Basilij Institutis

ad

ad vulgarem dictionem traductis, & citra sumptum in Provincias ad ipsos missis, ne inscitia sermonis vitæ sanctimoniam inverteret. Homines Christianos Peræ degentes, offensósque seu injuriâ seu exemplo Religiosorum Virorum ibi commorantium, lenivit, eó destinatis alijs Viris, qui & prudentiâ & charitate famam sibi pararent, Civibus quietem. Nec modò sacrorum Ordinum tam D. Dominici, quàm D. Francisci Moderatoribus præcepit, ut interdum suos homines in ijs locis diutius versatos revocarent, ne mora contemptum disciplinæ pareret; aliósque suppeditarent, pietate ac solertiâ locis pares, qui adversus Barbarorũ insidias Christianos tegerent; sed etiam Societatis Jesu homines ad eas Urbes immisit, quæ Othomanæ superstitionis labe facilè afflari poterant, ut eorum cura, industriaque Religionem tueretur, gnarus, facilè corrumpi Urbes superstitione.

Gennadij Scholarij volumen, quo quinque Florentini Concilij capita propugnantur, à Fabio Benvoglientio jussit in latinum sermonem verti, evulgavítque, ut

ut latiùs innotefceret proborum Græcorum & fanctior Græciæ fententia. Petri Canifij Catholicam Inftitutionem, à Gafpare Ananiæ Epifcopo Græcis verbis exaratam, pluribus donatis exemplaribus, fecit Græciæ communem.

In Taurica Cherfonefo Urbs eft antiquior, Genuenfi olim Reipublicæ addicta, & Capha dicta, nunc Othomanæ violentiæ obnoxia; hîc reliquiæ fupererant Catholici feminis, fed ob Neftorij aliarúmque Sectarum colluviem, vehementer infectæ, cùm præfertim effent deftitutæ Sacerdotibus Latinis, qui finceræ documenta pietatis infinuarent: quæ fanè caufa innumeras Orientis Urbes perdidit; quod ubi Gregorius comperit juffis eò ex Polonia fe conferre Francifcanis Viris, mifit facrarum veftium fupellectilem, egregiáque documenta: quibus ritè divinis laudibus, Sacramentífque feu conficiendis, feu accipiendis infifteretur, ac etiam Catholicam fidem fanctiùs teftificarentur, quicumque ab Hærefi difcederent; & quoniam libri validiffima funt veritatis præfidia, mifit quoque haud modicam libro-

librorum vim, quibus & pueri ad pietatem, & Sacerdotes, adultíque ad doctrinam informarentur; nec ullam vel minimæ industriæ partem omisit, ut eorum saluti prospiceret, certus, præ cæteris Pontificum interesse, ad Apostolicæ majestatis famam, studere perditarum Urbium vel periclitantium Religioni, quâ solâ nititur Civium felicitas. Percrebuerat interim Oriente fama constans, de Gregorij erga Græci generis homines benevolentia: omniúmque vocibus ferebatur, excitatum Romæ Seminarium, ac locuplete proventu munitum: conditum à fundamentis S. Athanasij Templum in quo fas esset, ritu Græco sed Catholico litare: recepta in sinum agmina Cypriorum, impensa liberaliter ad profugos tuendos, & captivos redimendos pecunia; & præ omnibus gratissima erat, sincera veritatis promendæ, ac divinæ gloriæ propagandæ cupiditas; inde ingens animorum inclinatio ad Latinos Religionis fasces; & quamquam alia postea acta fuerint, tamen haud ab re fuerit, hîc memorare; Thessaliæ, & Pelopon-

nesi

nesi Antistites, ac præcipuè Hieremias Constantinopolitanus Patriarcha, animum appellere cœperunt ad concordiam obsequiúmque Apostolicæ dignitatis. Tanta vis inest solidæ ac non fucatæ charitati. Nec defuit occasioni Gregorius, qui conscius horum consiliorum, sese vertit ad eliciendã Patriarchæ voluntatem, quæsitâ, non expectatâ amplificandæ Religionis opportunitate: Misit ergo sua sponte ad Hieremiam Michaëlem Eparchum Corcyrensem, & Joannem Bonifacium, qui à Germignio Gallico apud Othomamanum oratore, & Joanne Francesco Mauroceno Veneto ad Patriarcham ducti, oblatísque Gregorij tum muneribus, tum literis, peramanter ab eo excepti, domíque aliquanto spatio habiti sunt, quo familiariùs ab ijs de Gregorij benevolentia studióque ipse certior fieret, more sapientum, qui amant cognoscere; ac demum Romam ad Gregorium remissi non sine aliqua donorum pompa, quæ luculentior visa est, adjectis inter dona, Joannis Chrysostomi digito, & Apostoli Andreæ manu,

nû; ac etiam egregiæ in Gregorium Romanámque Eccesiam voluntatis testimonio, quo tam magnificè se approbavit Romæ Hieremias, ut Gregorius eum, tanquam alterum Bessarionem, tacita cogitatione purpuræ destinaverit, speravitque fore, ut ejus operâ plures provinciæ Romanæ Ecclesiæ conciliarentur. Sed per calumniam ab æmulis dignitate dejecto Hieremiâ, spe excidit Gregorius, non conatu, quem eventus melior mox vertit in laudem; Siquidem Germignius, & Maurocenus Religionis studio flagrantes, veriti, ne ob commercia Hæreticorum è Germania Peram advenientium, inter Christianos, Lutheri aliorúmque hæreses sensim quà fraudibus, quà specie negotiorum serperent; atque ita non minùs ab hæresi quàm à Mahometis superstitione periculum ingrueret; efflagitavêre à Gregorio, ut Societatis Jesu homines eò mitteret, qui arcerent hæræsim, pietatem foverent: Constantinopolim loco Americæ, ac Japoniæ fore: Cur despicerentur terræ, quæ vicinæ, propriores erant Evangelicæ luci? ejusdem charitatis

tatis esse, Barbaros orco, Christianos superstitioni, Catholicos hæresi eripere: posse hîc quoque suam patientiæ scenam adornari. Audijt Gregorius hæc libenter, annuítque; ac mox tres Societatis homines (Gallus alter, alter Italus, tertius verò Dalmata) pro triplici Christianorum genere ibi degentium, missi fuêre, cúmque à Germignio ad primarium Othomanæ potentiæ Administrum, quem Visirium dicunt, deducti essent, ut liceret eis sine metu domicilium figere, & pietatis ministeria usurpare; ille commisso, uti solet, sermone de novorum nominum vita moribúsque, atque audito, quòd gravitâ operâ, nullâ pecuniæ spe, cupidinéve, sese Civium commodis impenderent, Næ isti homines, inquit, probi sunt, quibus aurum contemptui est! eósque amare ac tueri pollicitus, fidem suam ingenio, nec barbaro exemplo absolvit; quippe eos accersitos, tanquam Romani Pontificis exploratores, præclare defendit apud Principem, tum innocentiâ assertâ, tum virtute commendatâ, ita ut calumnia præmunimento fuerit. Adeò vel Barbaris ad-

mirationi, amorique est charitas, expers avaritiæ.

CAP. XXVIII.

Bohemiæ regno consulit:

MAximilianus Cæsar, & substinendæ fortunæ & Austriacæ potentiæ firmandæ studiosus, Bohemiæ dominatum ad Rodulphum filium conferre, animo consilióque agitabat. Quod in tantis hæresum viribus, in convulsa Catholicorum concordia, ac præsertim in metu totius Germaniæ, alios principes amantis, periculosissimum erat; & ingruebat metus, ne Cæsar in angustias pertractus, aut amittendæ Bohemiæ, aut Hæreticis favendi, facilè consentiret votis hostium, ne suis fraudaretur. Illud autem contendebant perquam avidè Sectarij, ut Confessio, quam vocant, Augustana impunis esset, ac omnibus commoda; unde Catholici nominis ingens jactura, & summum discrimen. Gregorius, cùm & Maximiliano faveret, & amaret Rodulphum, optabat quidem, non alium Bohemiæ Regem fieri, quàm Rodulphum, sed salvâ

Catho-

Catholicâ re, ac Maximiliani famâ, cui plurima invidia parabatur ex contemptu; ac etiam illibatâ Sedis Apostolicæ dignitate, quæ si conniveret, jam indulgebat conatibus Hæreticorum; nam quæ semel lubet indulgere, necesse est semper concedere. Augebant Gregorij metum necessaria Regiæ destinationi Comitia, quæ constabant Viris abalienatæ à Romana Religione, vel indolis, vel voluntatis; Aberant addicta Ecclesiæ capita, ingens Religionis munimentum: & Praga id temporis paucissimos Catholicos fovebat, eóque Sectariorum, & in primis Nobilium impetus incitabatur; qui apertis animis Confessioni Augustanæ præludebant; sed Gregorius cautè simul, ac sollicidè literis ad Gulielmum Ursinum Rosembergium, Ladislaum Popleum, Wratislaum Prænestanum, Sbincum Bercam, claros & Catholicos Bohemiæ Proceres, & ad Antonium Pragæ Archiepiscopum perscriptis, eos admirabiliter accendit ad rebellenda hæreticorum vota, quibus arridere nihil aliud erat, quàm interire: non bene convenire, nec in uno regno simul morari

libertatem Religionis, & Catholicam sinceritatem; deinceps si hæretici caussam obtinerent, fore gloriam penes eos, ludibrium penes Catholicos. Admonuit Albertum Bavariæ Ducem, ut quà posset, averteret iminens incendiam, cujus vis Bavariæ minabatur, nam plerumque viciniores primò afflantur; extimulavit Mariam Imperatricem, Legatum Hispanicum, Florentinum, & cæteros qui videbantur apud Maximilianum gratiâ pollere, uti ejus animum adversus iniqua postulata obfirmarent; darent pietati, quod fidei erga Cæsarem, ac Reipublicæ saluti deberent. Demum aggressus est Maximilianum Pontificiâ majestate: Meminisset se Imperatorem electum, ut Catholicam Fidem tutaretur: non referret hæreticorum voces ad præsentia commoda, sed ad futuras calamitates: ab ijs nihil sincerum, nihil utile expectari ac proponi posse, qui corruptâ conscientiâ, prava non minùs mente, quàm operâ utuntur: insolescere audaciam, si semel admittatur: confessione Augustanâ approbatâ, Regiæ dignitatis contemptum approbari, Regni leges con-

convelli, discordias jactantiùs seri, atque hòc ipsò intercidere Rodulphi dignitatem, læsis Catholicis, quibus non minores quàm hæreticis in Regem vires; adeóque Catholicæ fidei, Regni saluti, ac Cæsareæ famæ prospiceret, compressâ hæreticorum cupiditate. Haud gravatè accepit Maximilianus Gregorij verba; se certum esse Pontificiæ charitatis, & Cæsarei officij memorem fore: sibi res novas haud quaquam placere: aliud esse audire; aliud, approbare, nec posse subjectos homines arceri à conspectu & aure Principis. Cæterùm haud metueret Gregorius, in tanta Sectariorum discordia. Atque ita prorsùs accidit, nam Picardi, aliíque novarum Sectarum æmuli, Confessioni Augustanæ, cæterísque illorum votis obstitêre, qui Catholicis negotium facessebant. Igitur Maximilianus specie pacis alendæ, facilè novos Sectarios repulit, & Gregorio gratificaturos pluribus præsidijs rem Catholicam firmavit: Hussitas coercuit, qui importunis querelis Sacerdotum opes incusabant; redirent in sinum Ecclesiæ; haud decere Roma-

num Pontificem, abalienatis membris vires ac opem impertiri: demum frænatâ Sectarum impudentiâ, & impetratis per Catholicos proceres, consuetæ pecuniæ subsidijs Regnum Bohemiæ Rodulpho tradidit, omnium assensu & plausu. Post hæc publicè confirmata, quæ aliàs in Picardos fuerant sancita, eorúmque Synagogæ clausæ: Paræciæ Catholicis restitutæ: Pragâ ejectus librorum impressor hæreticus, pluráque præstita Catholicis utilia, quæ gratiora acciderunt Gregorio, quò minùs expectabantur. Et cupierat Gregorius monstraverátque opportunum frænandæ hæresi munimentum, Tribunal scilicet fidei, quod Pragæ erigendum ab Archiepiscopo, neminem non contineret in officio; sed auctâ animornm licentiâ, impar erat severis remedijs; ideóque blandioribus modis Bohemiæ consuluit, misso plurimo auro, ut nova adolescentum Seminaria extitarentur, altiúsque surgerent jam excitata, adscitis in eorum curam Rosembergio & Prænestano, qui & auctoritate nominis, & animi alacritate studia Adolescentum incitarent.

Qua

Qua ſanè liberalitate reſtituit Gregorius in Bohemia Catholicam rem, eductis ex hiſce Seminarijs innumeris Sacerdotibus, qui deſertas Paræcias recuperavêre, oppidáque & Urbes documentis Catholicis informando, approbârunt Gregorij arcanum; Nihil eſſe præſtantius ad firmandam Religionem, quam juventam religiosè educatam.

Cap. XXIX.

Cavet, ne Rex Romanorum eligagatur vetri more non ſervato.

EVecto ad Bohemiæ faſces Rodulpho filio, ut celeritate fortunam occuparet, ac nova dignitas aliam pareret, Maximilianus Cæſar eò vires opésque ſuas vertit, ut concilatis Septemuiris, paratáque Germanorum benevolentiâ Rodulphus filius Romani Regni ſolio admoveretur; eſſétque paternæ omnino fortunæ hæres. Itaque vehamenter Gregorius efflagitare cæpit, ne vetus conſuetudo abrogaretur, quæ loco arcani erat, Haud eligi Roma-

norum Regem, nisi Cæsar superstes à Romano fuerit Pontifice aureâ redimitus coronâ; & quamquam hic mos fuerat omissus à Ferdinando Cæsare parente, quo tempore Maximilianus ipse Rex Romanorum designatus fuit; tamen haud licére, novo & retenti exemplo, tot seculorum, Cæsarúmque æstimatione validam consuetudinem abijcere. Præcepítque Nuntio Delphino, ut adiret Maximilianum; efficerétque, ut restitutâ consuetudine, suus Apostolicam Sedem, Cæsareámque dignitatem honos maneret; Neque Delphinus aut causæ aut loco defuit; sed nactus Cæsarem venationi operam dantem, adeóque curis Imperatorijs vacuum, & quasi opportuna vellet monere, ritu familiari cum eo solus de ambulans, procul arbitris & comitatu, de hac re sermones jecit, exposito Majorum more: quo violato periculum & incommodum imminere. Quod si valetudo, aut temporis gravitas eum vetarent Pontificis aspectum subire, posse ab alio, quem Gregorius aut mitteret, aut nuncuparet, pauló ante, quàm Rodulphus Rex designare-

gnaretur, Imperatorium insigne in ipsa Germania accipere: haud aspernaretur Gregorij beneficium, quod fortasse aliàs negaretur: panderet sinum promptæ benevolentiæ Germanos Principes, cùm prisca & Apostolicæ Sedi debita obsequia deferuntur. Neque hæreticos abalienatum iri. Imò è dignitate esse, Imperatorem Coronari: utcumque esset, non absque injuria negligi Romani Pontificis auctoritatem, quæ adversis rebus sola Cæsari præstò est. Ubi hæc audijt Cæsar, specie rem æstimantis, ac sapientiùs deliberaturus, responsum in hæc verba aliquantulum distulit: Gregorij nec benevolentiam obscuram, nec auctoritatem ingratam sibi esse, sed valetudine gravari ne Romam accederet: & à Legato, aliisve diadema imponi, novi moris esse, quem inducere, nec posset, nec vellet; posse hac novitatis specie commotos Septemuiros, suffragium aliò destinare. Itaque Gregorius ne deteriorem Ecclesiæ fortunam faceret, neu Catholici publicas in discordias abirent, veritus etiam, ne Protestantes ad Hæreticum Prin-

cipem transducerent Imperium Romanum, Catholicis discordibus; satius duxit, omissa lite, commonere Maximilianum, ut cùm ipse haud novos mores amaret, efficeret, ne quid in sacro celebrando, juramentóve præstando à Rege, aliísque rebus, præter morem usurparetur; quod sanè effecturum se Cæsar imperatoriè promisit, effecítque, agnoscens Gregorij beneficium. Ratisponam igitur convenientibus Septemuiris 5. Kal. Novem. ad annum sal. 1575. omniũ suffragijs creatus est Rex Romanorum Rodulphus Austriacus Maximiliani filius; ejusdémque Mensis Kalendis cùm auditus ab omnibus, solemni sacramento spopondisset, Romano se Pontifici; Apostolicæque Sedi constanter obtemperaturum, regijs ornamentis contectus de more fuit, ac mox iterum ad aram perductus sacrosanctam formulam repetijt, contestatus, nunquam fore, ut Romano Pontifici non pareret, nec se abrogaturum, sed integra & illibata servaturum ea, quæ Majores concesserant. Quod sanè factum Gregorij prudentiam approbat, qui in summa

ma hæreticorum Principum potentia, frequentiáque obtinuit, ut Apoſtolicæ Sedis authoritas firmaretur, nec alium ſui Rectorem haberet, timerétque Rex Romanorum, quam Romanum Pontificem; ſed alia quoque in hiſce Comitijs tentavit Gregorius, operâ Nuntij, & temporis occaſione uſus, quo ſcilicet Sacerdotes piam, & dignitati parem vitam agerent: Mancipata Eccleſiæ bona reſtituerentur: ne viduatæ paſtoribus jacerent Eccleſiæ, neque plures uni committerentur: Epiſcopi prophanâ ſpecie ac veſte haud vagarentur: cederent Magdeburgo, alijsque Urbibus præcones hæreſum: denique ne Catholica Religio labefactaretur diſſenſione Catholicorum, inopiâ, penuriáve Proborum hominum, ac vi, fraudéque ſectariorum. Rodulphus verò legato Claudio Trivultio, regio obſequio animóque veneratus eſt Cregorium, qui & actis Deo gratibus, & accenſis ignibus, publica exhibuit Pontificiæ monumenta lætitiæ; gratulatúsque tum ipſi Rodulpho, parentíque Maximiliano, tum etiam Phi-

lippo Hispaniarum Regi, apud quem Rodulphus educatus fuerat, in spem ingentis prudentiæ, hortatus eum demum est (qui finis esse debet Pontificij sermonis) ut parem personæ gestum pietatis faceret, & qualem optaverat, sperabátque ipse Gregorius, esset Rex Romanorum in Germania sublevanda, divinæ administer Providentiæ.

Cap. XXX.

Causam Toletanam absolvit.

Decimum jam & quartum annum Bartholomæus Caranza Toletanus Archiepiscopus in suspicionem hæresis adductus, quà in Hispania, quà Romæ detentus fuerat, anxiâ omnium expectatione. Incubuerant quidem uterque Pius Quartus & Quintus in hanc causam, sed impeditam difficultatibus reliquere Gregorio absolvendam, qui difficilia quæque negotia fato quodam, seu potiùs validæ mentis consilio, & aggredi & conficere potuit. Pendebat Aula incerta futuri: grande utrinque momentum suspende-

bat animos, hinc Hispani Regis, illinc summi Antistitis fama; nec prudentissimum Regem falsò accusâsse, nec doctissimum Archiepiscopum facilè aberrasse, plerique sibi persuadebant; cùm tamen alterutrius fama in periculum abiret. Neque Gregorius ignorabat rei gravitatem, sive absolveret, sive damnaret, sed innatæ constantiæ genio potens, labore ac diligentiâ pæne incredibili, ea cuncta præstitit quæ præstitisse par erat Romanum Pontificem, ne aut Antistes immeritò subiret infamiam, aut suspecta mens fucum faceret; ejusdem esse invidiæ, aut innocentem reum facere, aut reum tanquam innocentem absolvere: posteritati exemplo fore Bartholomæum Caranzam, quacumque sententiâ afficeretur, seu lætâ, seu adversâ, quòd à Gregorio veritatis ratio haberetur. Intererat Peritorum Conventibus, qui octavo quoque die hac re celebrabantur: audire utriusque partis argumenta; perpendere dicta, explorare facta, soli æquitati studere. Demum cùm omnia hujusce causæ acta confecta essent, XVIII. Kal. Maij Reum & Actores ad tribunal

bunal vocavit. Jo. Antonius Facchinettus Patriarcha Hierosolymitanus, & Camillus Boccamazzius deduxêre Caranzam in Vaticanam Regiam. Sedebat Romanus Pontifex, Christi Vicarius, majestate ac solio supra reliquos, immixtâ mærori vultûs severitate. Propè adstabant Purpurati, Consultores, aliique minores sanctioris tribunalis Judices, ac etiam Madruccius & Perettus: Archiepiscopus jacebat contra sedem pontificiam flexo genu, anceps, & quasi conscientiam arguens; Illius latera stipabant hinc Martinus Navarus, & Alphonsus Delgadus patroni; illinc Actores, qui Hispanici Tribunalis partes adversus Caranzam agebant. Atrox spectaculum erat, attonitis mæstitiâ omnibus, sed atrociùs patuit, ubi Gregorius vultu Christi judicium spirante; manu eâdem, quâ sententiæ formulam protulit recitandam, terrorem spectatoribus incussit, ac metum plusquam humanum. Recitatâ sententiâ, damnatus est Bartholomæus Caranza, tanquam hæresis affectatæ suspectus: jussúsque sexdecim pronunciata refellere: quæ mox ille juratus

impro-

improbavit, pronúsque non minùs ad arbitria, quàm vestigia Pontificis, demum ad osculum pedum admissus fuit hac lege, ne hisceret, sed facti pœnitens per silenitum conscientiæ consuleret. Verùm Gregorius eum severè intuitus, palàm ait, degenerantem à fama vitáque sua Antistitem gravioribus multandum esse supplicijs, ni carceris diuturnitas intercessisset; siquidem ad quinquennium censu & usu dignitatis exutus, & Centumcellas in Cœnobium Dominicanorum, ad voluntatem Pontificis relegatus, aliísque levioribus inflictis pænis, increpitus fuit. Interim dum Archiepiscopus sese ad iter accingit, quà pressus animi tristitiâ, quà ob enatos calculos dolore cruciatus, occubit, relicto Religiosis hominibus exemplo, Nunquam esse pijs doctísque hominibus aut indulgendum, aut fidendum nimiæ fortunæ. Atque hic exitus fuit celeberrimæ causæ, quæ tres Romanos Pontifices exercuit, & Orbem terrarum primùm turbavit, deinde sollicitum habuit, demùm terruit. Sed neminem affecit magis ejus expectatio, quàm Hispanum Regem,

gem, qui de peracto judicio certior factus à Gregorio, non potuit non suæ famæ gratulari, quæ laborabat opinione multorum, Garanzæ faventium, quasi specie pietatis, avaritiæ consuluisset. Sed tanti pietas Regis supra invidiam erat; sensítque fructum liberalitatis Gregorij, qui Toletanæ Ecclesiæ proventus, vicies centenis aureorum millibus constantes, citra impensas, maluit ei condonare, quàm repetere, cùm ad Sedem Apostolicam spectarent: insigni documento pontificiæ æquitatis, quæ non inhiat auro, dum crimina damnat.

Cap. XXXI.

Hæreticis iniqua meditantibus in Conventu Ratisponensi obsistit.

PRincipes Germaniæ, qui Protestantium nomine reliquis anteire volebant, seu jactandæ potentiæ cupidi, seu ostentatione hæresis meliorem fortunam aucupaturi, quadam ambitionis impatientiâ incitati, proximè habitis comitijs ira-

irascebantur, quòd triumphasse Catholici viderentur; ergo nova certamina moliti, Ratisponæ feliciora sibi pollicentur, gnari, Maximilianum egere auxilijs, quà in Othomanum, quà in Bathorium; adeóque expleturum arrogantia subjectorum vota; illud verò meditabantur non minùs Reipublicæ, quàm Religioni perniciosum, ut Episcoporum, Canonicorum, & Ecclæsiæ reditus, in patrimonia abirent familiarum nobilium quas interire nefas erat; Ita specie sustinendæ Nobilitatis, abrumpebant Ecclesiæ vires, ac potentiam. Comiti Palatino Septemuirio demandata est cura petitionis exponendæ, ut auctoritate principis audaciam velarent: per cætus, per literas, & inania vulgi, Sedi Apostolicæ illudebatur: Sacerdotum opes, & vitia, pari ludibrio prædicabantur; benè omnia terrarum spolia, commoda, bona in Ecclesiæ sinum commigrâsse: quid ultrà Reliquis superesse, quàm videre, quid sit ultimum egestatis, ac ærumnæ: neque tantùm Sectarijs hæc indecora probabantur, sed Catholici seu metu anxij, seu cupiditate corruptu, ac

etiam

etiam pravâ prudentiâ imbuti, nequaquam adversabantur; sua quisque sperabat commoda, malebátque sibi quàm Ecclesiæ consulere, vitio humanæ indolis, aurum & opes supra pietatem æstimantis. Hæc Sedis Apostolicæ, sacræque Gentis injuria commovit Gregorium, qui solidus cautè potiùs, quam per iram exarmare furias Improborum, necessarium censuit, disiectis hæreticorum viribus animísque, ad se pertractos consociare Catholicos; nihil opportunius concordiâ adversus impetum hæresis: legavit ergo Ratisponam summa cum potestate Joannem Moronum, Purpuratorum antiquissimum, experientiâ rerum, & gratiâ, apud Cæsarem, aliósque Germaniæ Proceres florentem, eóque maximè hisce turbis, temporibúsque componendis idoneum; jussítque Nuntios ad eum omnia, quæ in Germania agitabentur, deferre, ut agnitus rerum status consilium, remediúmque suggereret. Neque fefellit Gregorij spem Moronus; qui statim solertiâ, sagacitatéque usus, mentem Cæsaris eò flexit, ut nihil de Religione novum statui sineret; Præterea

terea Catholicis perſuaſit, ut ardentiùs, arctiúsque agerent, oſtentarent vires ac potentiam, nec cederent, ſe palàm conteſtarentur, ſe de Conventu diſceſſuros, ſi quid Maximilianus Catholicæ Religioni incommodum Hæreticis attribueret. Ergo Cæſar Catholicos magis, quàm Sectarios veritus, conſtanter depulit, quæ ſceleſtè Sectarij moliebantur; neque tamen inde neceſſarijs pecuniæ adminiculis fraudatus fuit; quæ negare nemo auſus eſt, quia pari omnes auctoritate, egere potius Maximiliani gratiâ, quàm minas intentare poſſe, videbantur. Tantùm potuit ſolertia Moroni, ad conſpirantia hæreticorum ſtudia infringenda; Adiuvit quoque rem ſuſpicio Saxonis, & Brandeburgici, qui cùm eſſent Lutheranæ ſectæ addicti, Calviniano furori invidebant, reclamabátque, metuentes, ne Lutherum Calvinus abdicaret. Sic diviſa Hæreticorum mens, Catholicæ Religioni ſerviebat, conſilio Providentiæ, quæ ſuis Hæreſim telis conficit; docétque, facilè caſuram Sectariorum molem, ſi Catholici non diffiderent.

Cap. XXXII.

Coloniensis Ecclesiæ famam statúmque tuetur.

COmes Salentinus cùm invitus ad Coloniensis Ecclesiæ principatum elatus fuisset, post plures in ea dignitate militari habitu gestos annos, Religionis Catholicæ studio, & æquitatis servandæ amore, gratus omnibus & conspicuus, tandem animum appulit ad uxorem ducendam, non illecebrâ matrimonij, sed familiæ tuendæ propagandæque ad posteros cura; Jámque Romam pergebat, ut impetratâ à Gregorio deserendæ dignitatis facultate, connubium ab infamia, sermonúmque licentiâ vindicaret; Sed Venetias attingens, rogatus à Maximiliano est, ut Ratisponam se conferret, Cætuísque Principum interesset, cui obsecutus, & interfuit Conventui, & Religioni Catholicæ pro dignitate favit, profuítque. Interim hominem qui erat ei à consilijs, Romam destinavit ad Pontificem, qui graviter accepit, deseri eam dignitatem: sanctius

esse

esse Archiepiscopi nomen, quàm ut traduceretur ad Conjugij spem, sed quia Comes mollioris genij erat, ac offensionibus obnoxii, ne abalienaret à Sede Apostolica piam alioqui ac optimè merentem ejus voluntatem, per Nuntios, & Cæsarem, conatus est eum ab incœpto absterrere: agnosceret, se Imperi Principem, ac Septemuirum: sederet in altissimæ scena dignitatis, cui præcipua Terrarum capita inviderent: posse familiam, genúsque Majorem per alios retineri: Cur ignobiliorem assumeret vitam, vel inglorius, vel ignotus alibi futurus? Meminisset tot jam annis percepta Ecclesiæ stipendia, è quibus contractum in reliquam ætatem serviendi onus: coerceret impetum novæ cupiditatis, quæ plerumque iniquo exitu expletur; sed cùm ille propositi tenax, nullam amaret cunctationem, atque (uti ferè agitantur, quicumque hoc æstu feruent) properaret impotenter ad capessendas nuptias; Gregorius, gnarus, hujusmodi transitus novis rebus opportunos esse, suasit ei, ut Ernestum Bavarum Adiutorem adoptaret,

ret, scripsítque Portio Nuntio, ut Coloniam profectus Ernestum proveheret: si suapte sponte Archiepiscopus suo munere cederet, non spectare Canonicos, sed ad Pontificem, renunciare, quis locum ejus arriperet; liceret tamen Portio, consilium in tempore capere, ac rem agitare pro loci necessitate; Is minore discrimine ad Canonicos eligendi negotium detulit; ratus, metu & irâ occupatos animos, non tam Sedi Apostolicæ, quàm ambitioni gratificaturos; neque displicuit Gregorio, qui oderat discordiam, pessimum reipublicæ venenum. Quatuor certabant, Austriacus Rodulphi frater, Antonius Argentorati Episcopus, Gebhardus qui successit, & Ernestus Bavarus. Rodulphus Cæsar, mortuo jam Maximiliano, fratrem extollebat; Sed comperto, Canonicos haud libenter Austriacis fascibus subjectum iri, studia in Ernestum Bavarum convertit; Antonius spe largitionum, aliísque artibus benevolentiam captabat, sed Hæreticis gratus, suspectus Catholicis; Gebhardus verò ingenii dexteritate, morúmque lenitate gratio-

gratiosus, non festinavit ambitionem prodere: sed compertis aliorum difficultatibus, tardiùs reliquis innotuit, eóque efficaciùs: Ernestum denique commendabat non modò Cæsar, Hispanus, Saxo, Dux Cliviensis, Joannes Austriacus, aliíque, ac præcipuè Albertus parens, qui causâ cadere, ignominiosum rebatur, sed etiam Gregorius, ratus ob familiæ pietatem, potentiámque, hisce temporibus illum per quàm utilem, sustulítque auctoritate Apostolicâ, minoris quàm par erat, ætatis, & si quod occurreret, aliarum rerum impedimentum. Ergo Ernestus dignitatis ac spei securus videbatur, sed repentè, quorumdam arte, aliò conspirantibus suffragiis, electus est Gebhardus, nõn sine Alberti Bavari dolore, ac ira, qui seu fraudem comperisset, seu hominis ingenium nosset; testatus, Coloniæ serpentem ali, Canonicorum electionem irritam volebat, & quamquam Gregorius æstimaret Alberti judicium, metúmque induisset, arcanâ præsagientis animi anxietate, tamen incitatus Altempsii Purpurati promissis, sperànsque fore, ut Gebhardus se

memorem beneficij, gratúmque præberet Pontifici, à quo dignitati admovebatur, & fidei Catholicæ servantissimum, cujus gratiâ ornabatur, Pontificia potestate eum humaniter approbàvit. Sed non rarò spem eventus fallit; & callida fingendi ingenia vel prudentissimos decipiunt; quamquam non modo Gregorium sed universam Germaniam hic decepit: Nam tecta indoles amplitudine dignitatis plerumque fit deterior.

Cap. XXXIII.

Gebhardum deturbat è sede Coloniensis Ecclesiæ.

Itaque Gebhardus electus Archiepiscopus, & Septemvir Coloniensis, tam bene Catholici hominis ac religiosi Antistitis personam sustinuit, ut nuncupatus fuerit Germaniæ Borromæus, sed paulatim larvam deposuit. Antea utebatur consuetudine Agnetis Mansfeldiæ, nec pudicè nec rarò; utque accidit hujusmodi cupidine accensis, dignitas haud cohibuit consuetudinis illecebram, sed auxit majore flammâ simul & ignominiâ. Evulgata demum

pravi

pravi commercii fama, Agnetis fratres perculit, qui & hæresi & militiâ feroces, seriò Gebhardũ monuêre, abstineret omnino sororis consuetudine, ne tandem eum pœniteret facti. Inde seu criminis excusatione, seu veritatis ex prompto arcano, innotuit, Gebhardum ante dignitatem spopondisse Agneti nuptias, quarum colore familiaritatem velabat, frustra increpante vulgo. Itaque Mansfeldij fratres Gebhardum acriùs urgent; nuptias celebraret, quarum spe sororem aluerat: unicum atrocioris famæ remedium hinc peti posse: neque Mansfeldiæ familiæ ingratum fore; Ille quà metu ferocioris gentis, quà amore blandientis fœminæ, quà etiam spe plenus futurum, ut per Augustanum Conventum, Episcopis liceret Ecclesiâ simul, & uxore uti; certum constituit tempus ad deliberandum, seu potiùs ad maturandum scelus, quo adveniente, Coloniensis Ecclesiæ ærario expilato, ut haberet infamiæ dotem, sese clam civibus per fugam subtraxit, nuptiisque cum Agnete contractis, sacrilego thoro pretium fecit, ac fidem, proscriptâ per Edi-

ctum religione Catholicâ, adprobatâ Confeſſione Auguſtanâ, & advocatâ ope Caſimiri Palatini, Lantgravii Haſſiæ, aliorúmque Dynaſtarum Acatholicorum, quorum è nutu conſilióque pependit, inſigni nequitiâ & infelicitate. Porro Gregorius hæc audiens, intimè cruciatus animo fuit, infando exemplo periculoſa Eccleſiæ tempora conturbari: digreſſum paulò antè voluntarii, ſed liciti connubii ſpecie, ex Eccleſiæ Colonienſis ſinu Salentinum, nunc impuro auſu, ex ejuſdem Eccleſiæ gremio, ad prophanas vetitáſque nuptias properâſſe Gebhardum. Quid Hæretici non cogitarent, ſi hæc Catholici molirentur? an vi coërcendus tanti ſceleris patrator? Sed armis, provincijs, animíſque adeſſe Germaniæ plures Principes, qui ut hæreſim, ſic ſcelera protegerent; armatam imminere tempeſtatem, ex qua Religionis & Germaniæ extrema calamitas. An conniveret, & ſegni patientiâ extorqueret pænitentiam ſacrilegæ audaciæ? verùm talibus flagitijs aut nullam, aut ſeram adijci pænitentiam; quiſquis tam apertè ad nefas graſſatur, velle,

pudore

pudore posthabito, contumaciâ inclarescere: libidinem ejus genij esse, ut nunquam resipiscat, habeátque pro novissima fortuna implacabilem libidinis amorem: frustra expectari, ubi è mora nullum remedium. Ergo minimè cunctandum ratus, Minutium, qui erat à secretis Bartholomei Portij Nuntij, misit eò cum Pontificijs mandatis: adiret nomine Pontificis Archiepiscopum Trevirensem, rogarétque, ut aspectu suo, ac reverentiâ similis dignitatis Gebhardum à scelere abduceret, revocarétque in sinum Ecclesiæ: interdum frigescente flagitij calore, posse incendium immineus restingui; sed ille seu periculi metu, seu difficultate rei conterritus, missis ad Gebhardum Gregorij literis, maluit subterfugere periculum, quàm experiri hominis audaciam, propiùs accedendo. Minutius autem ubi allocutus Trevirensem fuit, ejúsque metum didicit, Coloniam se contulit, ibíque Ducem Bipontinum, & Henricum à Saxonia, cum Protestantium legatis reperit, qui occasionem hæresis propagandæ nacti, & gnari, orbatam

Antistite, ac pessimo exemplo commotam Urbem, haud difficulter ad novas res incitari, vehementer Senatum Coloniensem promissis, minis, prece sollicitabant, ad arripiendam libertatem, quam vocant, Conscientiæ, vel certè ad aliquod Templum Hæreticis, ac æmulis Catholicorum attribuendum; unde ingens, & extremum Religionis excidium; nam Hæresis more veneni serpit, inficítque reliquum corpus, si particulæ inhæserit. Mox inspectâ tristiori Urbis imagine, confusâ plebe, incerto Senatu, Bonis trepidantibus, Malis per ludibria terrorémque insultantibus, uti erat ingenio atque arte ad prudentiam eloquentiámque paratus, publicè Senatum compellavit; redditísque Gregorij literis, magnificè Coloniensium Civium in Catholica Religione colenda tuendáque constantiam laudavit; ne sinerent inviolatam erroribus Urbem, & virginali quadam pietate præditam corrumpi, haud sine risu hæreticorum, quorum insidijs minísque terreri, ineptum; expugnari, miserrimum: præstò esse, ac sub aspectum, tot Germaniæ, Galliæque

Urbes,

Urbes, provincias, ditiones, hoc turbine semel afflatas, semper prolapsas: sequerentur mores & animos Majorum, quorum imagines & genus retinebant: fiderent Gregorio Pontifici, cui amori & curæ erat Coloniæ felicitas: nihil ab eo prætermissum iri, quo & mala propelleret, & optata remedia afferret: experirentur ejus benevolentiam, aliquid efflagitando. Gratissimis auribus excepta fuit Minutij oratio, præsertim ostentatâ Gregorij benevolentiâ; quæ non per inania verborum, sed per opera & beneficia jam Germaniæ innotescebat; Senatúsque gratijs Gregorio actis, duo censuit esse ab eo deposcenda, quibus Urbis tuendæ, firmandæque Religionis spes nitebatur, ut Sacerdotum vita componeretur, & Academiæ studia foverentur, penè languentia; Et promissâ Gregorij ope, Minutius tantùm erexit omnium animos, ut non modò nihil in Urbem pravi moris accesserit, sed Bipontinus ejúsque clientes odio fuerint, ac injuriæ obnoxij, plebe adversus eos concitatâ. quod sane factum præclaram Urbis pietatem testatur, quæ

rumpuntur, cùm quid inconſultiùs aut præſtiteris, aut omiſeris.

Verùm altiſſimæ prudentiæ majus documentum prodidit, quo rem difficultatibus perplexam facilè, felicitérque confecit; monito per Henricum Gallorum Regem, fratre Franciſco Valeſio, ne Gebhardo ex Belgio faveret; rogato Philippo Hiſpaniæ Rege, ut Alexandri Farneſij copias in Belgio decertantes, ad præſidia Colonienſis Eccleſiæ, immitteret: extimulato Cæſare, aliíſque Catholicis Principibus, ut quas poſſent eidem ſuppetias ferrent; aliud paravit munimentum, penitus Gebhardo adverſum, & neceſſarium Catholicæ cauſæ; quippe animadvertens validiori fulcimento Coloniæ res egere, ſuaſit Erneſto Bavaro ut eò ſe conferret, Eccleſiæque Colonienſi adeſſet auxilio, & imperio. Ita oppoſita Erneſti potentia Gebhardum fregit; Igitur Franciſcum Oranum Romanæ Rotæ XIIvirum, (quem ad Auſtriacum deſtinabat, ut acta publica adverſus Apoſtatam Antiſtitem ritè conficeret) miſit ad Gulielmum Bavarum, pietate ac ſtudio rei

Catholicæ insignem, quò pelliceret Ernestum fratrem ad Coloniam petendam, cámque aspectu & subsidio recreandam. Atque hoc etiam pertinet ad prudentiam Gregorij, non ad Albertum confugientis, fortasse adhuc Coloniensibus iratum, ob neglectum filium. Nitebatur contrà Ernestus, repulsæ memor, & conscius periculorum; olim debuisse Antistitem se nominari; Cur in tanta rerum clade adscisceretur, certus malorum? metuendum sibi potiùs, quàm sperandum, inclinatis aliò animis Civium: manere adhuc veteris injuriæ vestigia. quid, si denuò repelleretur? certè ægrè recipi, semel exclusum. Sed hortatu Gulielmi, ac etiam præcibus Parentis Alberti, religiosissimi Principis, qui privatæ injuriæ publica Religionis commoda ante ponebat, necnon auctoritate Gregorij, & Philippi Hispani, id ipsum efflagitantis permotus, ac insuper confirmatus literis Minutij, seriò sanctéque testantis, ipsum Coloniæ & amari, & optari, in iter se dedit, Coloniámque pervenit mutatâ vestis specie, vitans mortis pericula, hæreticis ubique

per

per insidias & ferociam adversa struentibus; siquidem agitatâ rumoribus legationis famâ, Joannes Casimirus Palatinus, Gebhardi fautor, non erubuit, per summum scelus Principe indignum, Austriaco legato, ejúsque comitibus Malaspinæ ac Bonhomio necem moliri, non occultis tantùm, sed apertis dolis. Ergo nihil audente Legato, ne iram Protestantium subiret, coactus est Malaspina Coloniam proficisci, alio habitu, quo insidias & arma Casimiri eluderet, ignotus ore, vitæ securus. Interim Coloniæ turbæ oriuntur, ambitione quorumdam dignitati inhiantium, & cùm Salentinus Comes ac Federicus Saxo arma adversus Gebhardum cepissent, Nonnulli, ut invidiam Gregorio conciliarent, quasi extollenti Austriacam potentiam, quæ uti summa, ita timori erat, jactitare vulgò cœperunt: hæc à Salentino parari, ut placeret Gregorio, qui tacita destinatione Andream Austriacum ad Gebhardi locum vocabat, specie legati, sed potestate Antistitis; At falsa mox vanescunt. Minutius enim hæc seri cœpta statim compressit, expo-

ſito Gregorij ſincero ſtudio, cujus pretium aliud non erat, quàm Civium ſalus, & brevì palàm fore, quò tenderet ſincera Pontificis voluntas, redditâ Urbi ſuâ formâ; Demum omnia quievêre adventu Erneſti, qui benignus alloquio, promptus ingenio, ſolers opere, traxit Cives in amorem ſui, & ſpem publicæ ſecuritatis. Non tamen quieſcebat Gebhardus, ſed magis inſoleſcens!, ſumptâ hæretici hominis perſonâ, imploratis Germanorum, Anglorum, ac etiam Gallorum auxilijs, lectâ Belli ſede propè Coloniam, arma & metum intentabat. Itaque Gregorius ſtatuit contumaciam plectere, ut eſſet ultionis exemplum, qui nolebat eſſe pudoris: advocatóque Purpuratorum Senatu, rogatíſque ſententijs, & uſus Apoſtolicæ ſeveritatis fulmine, Gebhardum Coloniæ Arhiepiſcopum, Romani Imperij Septemvirum, ad impuras nuptias repudiatâ Eccleſiæ Catholicæ conſuetudine, atque ad Hæreticorum opem & placita aberrantem, nec facti pænitentem, ſacrâ omni dignitate ſpoliavit, privatúmque ſocietate Catholicorum, de Eccleſiæ ſinu, & gradu

movit.

movit. Mox de exuto dignitate Gebhardo, Pontificias literas exaravit ad Colonienses; hortatus Canonicos, ut quamprimum ad novi Antistitis comitia accederent, misitque jacti anathematis exemplar ad Minutium, adjectâ vi plurimâ pecuniæ, quâ pro rerum eventu uteretur, ac præterea Ernestum Bavarum impedimentis absolvit, quibus vetabatur, ob aliarum Ecclesiarum administrationem, Coloniensem Infulam accipere. Vt autem famæ Austriaci legati consuleret, cujus ope, consilióque res conficienda erat; reddito diplomate, permisit, ut ire Coloniam si abnueret, mitteret Bonhomium Nuntium, qui demum eò cum literis Pontificijs missus, institutâ solemni supplicatione, promulgatâ in Gebhardum Pontificiâ sententiâ, ejus Clientibus exauctoratis, indixit Comitia, & simul quadraginta horarum preces in Templo Societatis Jesu; ac superis mortalibúsque grato successu dum hæ conficiuntur; illa quoque absolvuntur, electo Ernesto Bavaro Coloniæ Antistite, qui & munimento & solatio rebus tam tristibus fuit. Ac-

cessit ipse Minutius primùm ad Gregorium, deinde ad Philippum Hispaniæ Regem, & bene gestæ rei nuntius, & flagitaturus suppetias adversus Gebhardum arma parantem; Gregorius autem approbatâ statim Ernesti electione, missísque ei sexaginta aureorum millibus, ac promissis alijs quadraginta millibus, animos addidit ac vires, adversum Sectarios, qui diu pugnavêre pro Gebhardo, sed victi demum ac fracti didicêre, sumpta adversum Pios arma nec speciosa esse, nec utilia. Ita Gregorius Protestantium conspirantem frementémque impetum profligavit, eorum votis conatibúsque Romanum Imperium eripuit, Sedis Apostolicæ majestatem, ac robur Pontificiæ potestatis sustinuit, auctâ Religionis famâ, & incusso Sectarijs, pravísque Principibus terrore, Veterum, Sanctiorúmque Pontificum constantiam æquavit, & suam prudentiam armis consiliísque invictam approbavit.



CAP.

Cap. XXXIV.

Rodulphum Cæsarem ad Obedientiam præstandam sollicitat.

AUstriacus Rodulphus, Rex Romanorum designatus, Romam se missurum Legatos, qui obedientiam de more testificarentur, sæpius promiserat, distuleràtque, incertum quâ causâ; extincto demum Maximiliano Imperatori succedens omnium opinione, consuetudine ac officio functurus censebatur; sed moras nectebat; suspensâ Romanâ Aulâ, quæ malè interpretata diuturnam Cæsaris cunctationem, sentiebat, haud posse à Pontifice in Cæsarem publicæ benevolentiæ argumenta exhiberi, sine jactura pontificiæ dignitatis, cui decus & reverentia ex Catholicorum Principum, ac præsertim Cæsaris obedientiâ. Attamen Gregorius, qui omnia ad pacem concordiámque referebat, & sanctiori prudentiâ res Generis humani metiebatur, non minùs consilio, quàm dignitate reliquos mortales

mortales anteire solitus, non certare cum Cæsare, sed vincere Cæsarem voluit, destinatô ad eum Annibale de Capua, postea Archiepiscopo Neapolitano, qui nomine Pontificis & solatia doloris deferret, mortuo Parente, ac officia gratulationis, quòd potitus Cæsareo solio fuisset absque turbis, & invidiâ æmulorum; Ad hæc eum commoneret, ut Catholicæ fidei propugnandæ, augendæque instaret: memor esset Imperatoriæ, ac Austriacæ pietatis: cum Polono quiete ac amicè ageret, ne ludibria bellorum experiretur, nemini magis vitanda, quàm Cæsari, quem plerique id temporis attritum vellent, infirmúmque viribus, ut sublato Imperij Romani metu, singulorum fortuna intumesceret. Hâc ergo Gregorij humanitate allectus Rodulphus, ut facilè commoventur animi Principum, agnitâ Pontificis benevolentiâ, præter ordinarium ac Romæ immorantem legatum, duos extra ordinem ad Gregorium legavit, Philippum Flochum Imperij Principem, & Joannem Tonnerum, ejus olim præceptorem. Sed huic quoque legationi sua intervenit mora;

ra, ea præſertim de cauſa, quòd legati non attuliſſent Decretum de Rodulpho electo Romanorum Rege jam ſancitum, nec formulam ſolemnis ſacramenti, quo Ratisponæ is Eccleſiæ Romanæ ſe devinxerat. Et quamquam legatos adoſcula pedum, privatúmque colloquium admiſit, amantis potiùs, quàm dominantis Pontificis ſpecie, haud unquam tamen adduci potuit, ut publicè eos exciperet, niſi veteri conſuetudini Cæſar conſentiret; Ne tamen deterrimi quique (uti accidit in aulis) diſcordias fererent, ac certamina, quaſi tuentes jura Principum, ortáque inter Cæſarem, Pontificémque ſimultate, infenſior eſſet Apoſtolicæ Sedi Germania, latinis literis ſuâ manu perſcriptis, Rodulphum eſt hortatus, ad Sedem Apoſtolicam religiosè venerandam, ne ſi Chriſti Sedem fraudaret honore, Cæſaris ſolium deſereretur à Deo; contemptu Romanæ Eccleſiæ, non ſtare, ſed cadere Romanum Imperium; quibus literis perlectis Cæſar, & Decreti verba Romam miſit, ac ſe Obedientiſſimum Eccleſiæ filium profeſſus eſt, placato Gregorio,

gorio, qui retinens veteris moris & dignitatis, etsi alia desiderabat, tamen ne publicum gaudium, cujus mora odiosa est, retardaret; electum à Septemviris approbavit Ecclesiæ Imperatorem, audijt publicè ac per majestatem legatos, eósque remisit cum muneribus ad Cæsarem, cui semper favit quòd Catholicos homines, ritúsque fovebat: quippe hoc rebatur, esse Cæsaris, non tam fines imperij, quam Ecclesiæ mores tueri.

CAP. XXXV.

Ad Angliam liberandam fortiter imcumbit.

ANimadverterat Gregorius, Elisabethæ Anglorum Reginæ artibus, Christianum Orbem turbari, Galliam seditionibus, tumultibus Belgium, Germaniam dissensionibus, cunctas fere provincias hæresibus ac ruinis oppleri, adeóque nihil posse Catholicos Principes moliri, pressos intestinis discordijs, ac externis bellis, quæ ferebantur ope, astúque Elisabethæ, sibi timentis, & ne timeret, omnium dominatio-

minationem conturbantis, quamquam sagacitate animi dum lædebat consilijs, verbis blandiebatur, ac præsertim Hispano, qui harum artium minimè ignarus, dissimulare malebat, ne ludibrio esset: irâ in tempus dilatâ. Itaque Philippum incitat: necessariam in Anglos expeditionem adornaret: sic Belgio consultum iri, hoste vel sublato, vel depresso; sic Hispaniæ præsidium parari, ac Religioni: sic errantes, afflictósque Catholicos in Anglia futuros incolumes: &, quod intererat ad gloriam famámque, sic palàm fore, haud impunè Hispano illudi. Neque Philippus abnuit, arcanâ indignatione Reginæ infensus; sed ne Hispanæ potentiæ æmulos nova expeditio in suspicionem, & ex suspicione in fædus ageret, cupere, ut Sedis Apostolicæ nomine, sub Pontificijs signis bellum, tanquam adversus Religionis hostem gereretur; se militem & pecuniam suppeditaturum. Joannes Austriacus rei gerendæ præficitur: Gulielmus Alanus & Franciscus Inglefridus in Belgium mittuntur; explorarent animos, Angliam, & Hiberniam, ad arma

arma pro avitâ Religione capienda, si fortuna adesset, concitent. Nicolaus Sanderus in Hispania consisteret, & cum Ormaneto, Pontificio Nuntio, Philippum instrueret: decretæ, ac evulgatæ à Pio V. pœnæ in Elisabetham, rursum statuerentur: educeretur è carcere Maria Stuarta, & nuberet Joanni Austriaco: sic jure posse Regnum repeti, ac invadi, nisi redderetur: vel certè Comitis Utintonij frater ad Regni sceptrum adsciseretur: aliáque etiam in deliberationem venêre, quæ confecta Rempublicam Christianam gravibus ærumnis exemissent. Sed Hispani, classe dilatâ in extremam anni partem, uti navigationi, ac victoriæ opportuniorem, Ormaneto & Anglis frustra reclamantibus, aliò distrahere vires adacti sunt; quippe novas res in Africa agitavêre Mauri, unde metus Hispanis: præterea in Belgio pecuniâ deficiente, plura evenêre tristia, quæ impulêre Philippum, ad sua potiùs tutanda, quàm aliena aggredienda. Atque ita clarissima & penè necessaria expeditio quàm avide tentata, tam ingloriè evanuit. Neque Gregorius

pro-

proposito destitit, aut irâ aut dolore anxius; sed Providentiæ innixus, quæ omnia in sapientiam vertit, illud tantummodo indoluit, non rediturum tempus victoriæ, quæ modò prona erat; nam quamvis postea potentiore classe Angliam Hispanus invaserit, tamen conatus ex vano fuit, classe miserandum in modum disjectâ; neque enim fortuna semper favet; sed antequam vim Gregorius adversus Elisabetham pararet, benevolentiam intenderat, à qua auspicati Pontifices solent, debéntque; nimirum audito, Elisabetham, ob suppetias Rupellanis adversus Gallum latas, Gallicæ ultionis tela formidantem, cum Albano Duce Belgij Moderatore, ac Hispanis, de negotiorum comercio ac pace convenisse, benignè clementérque per Regem Hispaniæ monuit, ut Ecclesiæ se redderet; læta omnia speraret; salvâ, & auctâ regni potentiâ pietatem coleret: ipsos quoque Reges Religione discerni. Sed illa hæresim & licentiam reputans instrumenta potentiæ, impleverat animum cupidine ac imagine majestatis, ut sola regnaret, sine Deo ac Ecclesiâ.

CAP.

Cap. XXXVI.

Scotiam, ejúsque Regem, Hæreticorum potestati eripere tentat.

TAnta autem exarsit libidine regnandi hæc fæmina, ut non modò in Anglos Catholicos bacchata fuerit, tanquam Majestatis hostes; sed Mariam Scotiæ Reginam Catholicam, ut æmulam oderit, captámque per fraudem ac dolum in carcerem detruserit, abominando posteris scelere; útque spem successionis probæ Catholicis eriperet, sagaciter simul ac impiè studuit, Jacobum Mariæ filium, qui destinabatur hæres tam Scotiæ, quàm Angliæ, & Hiberniæ, imbuere Calvini erroribus, nam pueritiâ corruptâ seritur in omnem vitam impietas. At Gregorius de hoc Elisabethæ scelere monitus, ab Jacobo Betonio Archiepiscopo Glasquensi, contrà niti, ut Jacobum puerum ex Hæreticorum manibus artibúsque in Catholicorum sinum deportaret. Itaque ad Carolum Lotharingum Mariæ avunculum,

culum, hac de re literas dedit tam studiosè, ut illi non solùm necessaria spoponderit pecuniæ subsidia, sed adfirmaverit, oblaturum se universum Sedis Apostolicæ patrimonium, quò constaret, Regnorum salutem, pretium esse censûs Apostolici. Neque repugnavit Lotharingus, neque abnuit Carolus Galliæ Rex, qui gloriæ sibi ducebat, Regium puerum alere in Gallia. Sed occumbente Carolo, & paulò post Lotharingo, quamvis multa tentârit Gregorius, deferri aliò puer non potuit. Interim Elisabetha, ut puerilem Jacobi indolem altiùs incitaret ad hæresim, odiúmqueCatholicorum Principum, admovit ejus consuetudini viros callidos, quorum lenocinijs, verbísque delinitus, de Religione, déque Principibus Catholicis malè sentire cæpit, pronâ semper ad praviora documenta pueritiâ. Quod ubi accepit Maria ejus Mater, cui non tam Regni, quàm prolis jactura dolori erat, in ipso carcere retinens majestatis, & solertiæ, arcessivit è Gallia Obignium, virum & sincerè Catholicum, & Principi consanguineum, qui eum ad sese paulatim per-

pertraxit, indole agnitâ & sagaciter flexâ. Sed versus erat Scotiæ status, nam plerique nobiles non tam principem volebant, quàm Principis nomen, ut quò Rex debilior, validior nobilitas esset; Plebs etiam hæresi jam licentiæque assueta; vergebat ad deteriora seditionum; Et in primis Præconum Calvinianorum impudens vox subvertit vulgus, ut nemo non timeret, promiscuâ ignaviâ & formidine, ideóque Obignius & Catholici cautè potiùs, quàm acriter agere. Hæc Gregorius cùm hausisset auribus, & gnarus, difficiliorem esse Principum educationem, quò magis ætate adolescunt, ut ingesta Regio puero pravitatis semina aboleret, ac ruenti Scotiæ occurreret, Archiepiscopo Glasquensi significavit, sibi haud placere Regis discessum: fortasse Regni rationibus expedire, si Rex Scotiam aspectu suo contineret: verendum, ne Rege absente Scotia in deterius iret, ac exuto pudore omnino à Religione ac Rege descisceret; regiæ pueritiæ provisum iri, adjuncto viro & pio, & prudenti, qui teneram mentem imbueret constantibus documentis: investigarent

liberan-

liberandæ Scotiæ adjumenta; ſe nunquam ope ac auctoritate defuturum. Geſtire lætitiâ Obignius, per cepta tum Gregorij, tum Philippi voluntate; ſtatímque reſcripſit: Haud aliter, quàm armis, poſſe in Scotio Fidem Catholicam reſtitui, & invaluiſſe Hæreticorum furorem, qui non niſi vi & bello cohibetur; Catholicos promptiſſimos fore ad rem & vitam profundendam: Et quid feliciùs aut glorioſiùs, quàm pro Religione ac Deo cadere? Mox accitis Huntleiæ Comite, & Setonio, cujus ſiſtum Gregorius educári in Romano Seminario juſſerat; expoſitíſque Gregorij mandatis, eos Luteriam miſit, ubi re deliberatâ cum Nuntio Pontificio, Alano, Archiepiſcopo Glaſquenſi, & Franciſco Guiſio Mariæ Stuartæ Sobrino, id conſilij conceperunt: Guiſius in Scotiam traijceret cum copijs: Hiberniæ incolæ Catholici foverentur: demum univerſa exercitûs vis in Angliam incumberet: à Scotia tamen auſpicandum, quæ propior & promptior fauſto ſucceſſui; ſed celeritate victoriam niti: morâ omnia evaneſcere. Iámque expeditio conficienda

erat, cùm repentè orto de pecuniâ expeditioni necessariâ certamine, quartam sumptuum partem offerente Gregorio, nec reliquos in se sumptus recipiente Hispano, abijt occasio asserendæ Scotiæ; quippe vulgatâ horum consiliorum famâ, Elisabetha ex improviso delegit homines, qui Regem è venatu redeuntem, imparatum, destitutúmque militum præsidio, per vim caperent; captúmque in arcem conjecêre, specie liberum, re vera captivum. Agnovit mox Gregorius moræ damnum, quod incusari potuit, reparari non potuit. Aliâ tamen viâ aggressus est abducto Principi consulere, Gallorum Rege Henrico exorato, ut Scotiæ, ejúsque principis patrocinium susciperet; intelligeret Elisabethæ artes: everteret fraudes, quæ vicinioribus regnis cladem minabantur: non expedire Gallicis rebus, tantam ejus vim & potentiam. At Obignius Principis casu, & magis inconstantiâ tristis, insidiísque hæreticorum appetius, in Galliam secessit, concessítque paulò pòst vitâ, vir nobilitate clarus, sed clarior prudentiâ & Pietate, quo extincto spes Scotiæ omnis cecidit.

cecidit. Inter hæc Henricus instante Gregorio, Menevilium & humanæ & sacræ literaturæ scientissimum, ad Principem misit, ut ejus animum pertentaret alliceretque ad meliorem, dignámque Rege fortunam, quod sanè Menevilius præstitit, sed cúm haud liceret Catholicos mores, ritúsque usurpare, neque Pueri mens fortiter constaret, in Galliam redijt, ne suæ aut pietatis aut famæ suspectus esset, dum alienæ frustra consulit. Atque ita in sinu hæresis conquievit, contabuítque optimæ spei Princeps, Catholicâ stirpe ortus. Unde Catholici & Guisius rem armis omnino aggrediendam censuerunt, ne gloriaretur Elisabetha fraudibus, illuderétque Orbi Christiano; quod cùm Gregorio significâssent, atque hic Philippum ad arma solicitasset, respondit is, se favere Gregorij studio, sed vereri, ne Catholicorum armis ad Principem hæresi jam aspersum, abducendum immissis, Elisabetha magis in Catholicos insaniret, odio & ultione: Priùs ab hæresi abduceretur Rex, quàm à Regni carcere, neque se abnuere deliberata, sed impedimenta

 su-

ſublaturum, immò apparaturum ea, quæ expeditioni neceſſaria. Hæc Philippi dicta cùm perlata eſſent, ſe quoque vereri, inquit Gregorius, ne deperditâ occaſione, irritus conatus futurus eſſet: plurima poſſe intervenire, quæ non modò rei obtinendæ fortunam, ſed ſpem eriperent; utendum ſorte, quæ obuia victoriam pollicetur. Neque ultrà repugnavit Philippo, ne argueret invitum, eóque offenderet, ſuæ contentus conſcientiâ charitatis, cui ſi Iacobus Rex accomodâſſet ſeſe, in libertatem aſſertus, haud præclaram indolem corrupiſſet. Sed neſcio quo fato, quæ meliora videntur Generis humani conſilia, raròperficiuntur.

Cap. XXXVII.

Hiberniæ vindicandæ opem impendit.

NOn abs re fuerit hic ea jungere, quæ ad Hiberniam pertinent, Angliæ principatui conjunctam. Inde Romam acceſſerat Iacobus Giraldinus, qui cupidus Patriæ ex Eliſabethæ tyrannide vindicandæ,

dæ, Gregorium rogarat, ut manum porrigeret: addictam Sedi Apostolicæ insulam haud relinquendam ludibrijs hæreticorum, quibus omnis vis adversus Ecclesiæ studiosos. Hominem Gregorius per benigè accepit, ac Hispano Regi commendatum, Ulyssiponem misit, ut ex illo portus solueret in Hiberniam armatus; & quamquam modica initia se præbebant, statuerat, auctis auxilijs ea fovere, rémque ad exitum perducere; Hispanus autem Rex Gregorio gratificatus operâ Ioannis Silvæ, quo utebatur consiliorum administro apud Lusitanum, navem instruxit Giraldino bellicis apparatibus, non tamen militibus idoneam, quos addere minimè libuit, ne inhorescerct, ac invidiam conciret, nulli expeditioni utilem. Hisce modicis viribus, ac insuper paucis lectis militibus accinctus Giraldinus, in Hiberniam enavigavit, sed antequam patriâ potiretur arenâ, naufragio jactatus fuit, ac mox Navi spoliatus à Nauclero, spe ac voto excidit. At Gregorius, qui non successu bene cæpta metiebatur, cognito Giraldini casu, alia paravit subsidia.

Degebat Romæ Thomas Stucleus Anglus, qui promptus linguâ, & aſpectu decorus, olim in Hiſpaniam conceſſerat, ibíque ſimulato Catholicæ Religionis amore Principum benevolentiam captaverat, ac præſertim Ioannis Auſtriaci, à quo Romam miſſus, eâdem arte Gregorium cepit: crebrò jacere de Anglicana expeditione ſermones: inſectari verbis illatas Catholicis injurias; miſerari eorum fortunam: nihil prætermittere, quod fictæ pietati fidem apud Gregorium faceret. Itaque viſus eſt Gregorio maximè idoneus huic expeditioni, ille annuit & jactantius ſuſcepit. At mox ſimulationis manifeſtus fuit. Etenim non modò fama percrebuit, fuiſſe ab eo præmonitam. Eliſabetham de expeditione, ſed Luſitaniam attingens, unde cum Giraldino in Hiberniam diſcedendum erat, Navim, quam acceperat à Gregorio, ſexcentis militibus & immensâ bellicæ rei copiâ munitam, uti ſuam obtulit Sebaſtiano Luſitaniæ Regi. in Africam profecturo, qui militum peritiam admiratus, navim & milites cum Stucleo ſecum in Africam adduxit, ubi Stucleus meritas

dedit

dedit simulationis pænas, & à barbaris, quibus iræ, & à suis, quibus odio erat, cæsus. Sic miser illusit sibi, dum illudit Gregorio, qui reputans incerta mortalium, etsi gravissimè sentiret jacturam Italicorum militum, in Africa miserè pereuntium, tamen omnia posthabuit charitati, quæ loco præmij ac solatij est in rebus adversis; Itaque Iacobo Giraldino rem omnem gerendam mandavit adjunctis tribus è Franciscana familia comitibus, quorum prudentiâ adjuvaretur; neque is spem fefellit, namque in Hiberniam transgressus, mirantibus hostibus, nec obsistentibus, erexit palàm Vexillum Crucis, Catholicæ Religionis insigne; mox habitu Nautæ succinctus, ad validam Arcem accessit, accitúmque Custodem ad deditionem compulit; & occupata arce, alios in spem milites comparavit, pecuniâ, & novis ex Hispania viribus firmatus à Gregorio, jam successibus læto, & apertam expeditionem anhelante. Accessit quoque ad Iacobum, unà cum Desmoniæ Comite Ioannes Giraldinus frater, & ipse famâ illustris ob fortiter fusos accisósque Anglos; Sed

fortuna invidit cæptis, Iacobo extincto, qui victor ad suos rediens, repentè glande petitus, piè constantérque cecidit. Vir sanè memorabilis, cui si primùm credita fuisset expeditionis cura, fortasse jam Hibernia in tuto esset. Hisce auditis Elisabetha, sibi timere, indignari suis, avaritiam, & ex avaritia ignaviam incusare; neque tamen audebant Nobiles arma pro Regina sumere; tanta erat vel Giraldinorũm fama, vel in Elisabetham invidia. Insulæ demum Præfectus stimulatus ira Elisabethæ, suíque nominis infamiâ, collecto exercitu castra movit in Ioannem Giraldinum, penes quem, Iacobo fratre sublato, vis erat Catholicorum. Pugnatum à Giraldino acriter, quamquam dum justo audentior in castra Præfecti erumpit, non sine suorum damno repellitur, tamen auctus viribus, & audaciâ valentior, cecidit strenuè, in Anglos cladem, ac terrorem circumferens, oppidis quà captis, quà trepitantibus. Et sanè debellatum foret, si Gregorij conatibus aliorum auxilia respondissent: sed ferè corrumpuntur extrema victoriæ, dum necesse est alienâ ope pu-

pugnare, ac vincere, nam ſuis quiſque rebus indendit.

Cap. XXXVIII.

Luſitaniæ conſulit.

LUſitania non minùs indole, quàm gloriâ rerum geſtarum, commendat ſuos incolas Orbi terrarum, ac Religioni Chriſtianæ, cujus jura in Indias tranſmiſit navigatione Reipublicæ fauſtâ, & piâ, & hac de cauſa in primis amorem Gregorij meruit, qui non modo ad Barbaros Mahometis alumnos Africâ depellendos ſubſidia pecuniæ ex Eccleſiæ cenſu Regi ſuppeditavit; ſed conatus incommoda, & prava Regni exempla amovere, egregia pro Luſitanis præſtitit: operam dedit, ut juſtitiæ utroque in foro fieret ſatis; Hebrææ legis occulti, Chriſtúmque mentiti ſectatores coërcerentur, ſeu fœnore, pravíſque lucris Rempublicam peſſumdarent, aut ſimulatis natalibus Chriſtianos deciperent: Rex, poteſtatem Epiſcoporum ne uſurparet, ac Epiſcopi, Pontificis Romani vices ne adſumerent: Cenſuræ & Eccleſiæ

pænæ veneratione, ac metui essent, quas idcirco è suggesto à Concionatoribus laudari jussit, tanquam divinæ fulmina ultionis, quæ magis feriunt, quò magis temnuntur. Sed potissimùm industria Gregorij certavit in componenda Regni successione, quæ multorum Principum incitabat spem, & cum spe certamen animorum, Europâ sollicita, & cui faveret, incertâ. Itaque hoc primum apud se statuit, quòd Romano Pontifici, morum & factionum diversos homines, instar Iudicis, ac Parentis audienti, semper præstandum est; Nulli parti se adijcere, sed pari affectu approbare omnes: quæ pertinent ad religionem, sedulo curare: prophana negotia, nisi aut pietatis, aut reipublicæ damnum immineat, post se habere, ac infra majestatem Pontificis, cui major reverentia ex contemptu profanæ rei: nec rarò evenire, ut dum transit in partes vel consultò, vel casu, partem dignitatis, ac famæ deperdat, quam augere in promptu erat, æquâ & rectâ in omnes voluntate, nam Parentem dicimus, cui erga filios omnes amor. Vitâ functo Eduardo, Regij sanguinis,

guinis, & ingenij Principe, ac Sebaſtiano Rege extra ſpem ſobolis dominante, Ioannes Andreas Caligarius præpoſtero, ac intempeſtivo ſedandi regni ſtudio, ſeu aliâ causâ tactus, Gregorio expoſuerat; Poſt Sebaſtianum ac Henricum fore nullam in Rege eligendo moleſtiam, ſi Antonio Gregorius faveret, qui offenſus hoc dicto: Deum, inquit, ſollicitâ prece obſecramus, ut extincto Principi beatitatem, ſuperſtiti autem Regi diuturnam ætatem impertiatur: cæterùm hæc ſtudia ſint eorum, ad quos pertinent; noſtra enim haud eſſe modò debent. Ex quibus verbis conijcitur, quàm compoſita, & recti tenax fuerit hac in re Gregorio mens, quam apertius prodidit, cùm fatali cupiditate Africæ occupandæ Sebaſtianus accenſus, Ludovicum Conſalvium Societatis Ieſu, ab aſpectu, & gratiâ amoviſſet, ac negligeret Henricum, quòd uterque Africanam expeditionem, diſſuaderet, plenam diſcriminis, & incertæ ſortis: minore certè diſcrimine Africam, quàm Luſitaniam relinqui; Gregorius laudato Henrico, Sebaſtianum avertere ab hujuſmodi auſis, ac domi re-

 tinere

tinere contendit: periculosæ plenum opus aleæ, alienas oras aggredi: partos triumphos aliquando, vel dedecori, vel damno fuisse, neque enim vincitur incruento prælio, maximè apud Barbaros, quid si Regnum deserendum sit incerto successore, turbis obnoxium, & in partes distractum: haud sineret modicâ gloriæ aurâ vel se, vel Regnum in tempestatem abripi, ac naufragium. Contrà ille: Pericula vitæ, ac Regni, temnenda Regi, ut pietas propagetur; Magnum Christianæ Religioni incrementum ex Africa domita: velle se ire, quò Religionis, & Numinis studium vocabat; Et cur Majores haud imitaretur, qui magnam, & abditam Asiæ partem Christo subjecerant? Heroicum esse, pro Deo vitam, & Regnum amittere; quamvis nec vitæ, nec Regno timeret, nam pia consilia Deus approbat, adjuvatque. Sed aliter Superis visum. Sebastianus in Africa cecidit, luctuosa Lusitaniæ clade, & insigni Principum documento. Sebastiano igitur cæso, & conversis ad novas res omnium animis, Gregorius in Lusitaniam misit Alexandrum Frumentum, ut

nomine

nomine Pontificis adesset rebus Lusitanis, quas turbari, vel externis, vel intestinis artibus, haud arduum; reperítque Henricum coronâ susceptâ Regno initiatum; At ille Nuntium libenter haud excepit, quasi vel minimè necessarium, vel importunum Legati potestati, quâ ipse pollebat; sed monitus à Gregorio, non simul convenire Legato, & Regis auctoritati, Nuntium admisit, amavítque uti Gregorij & Sedis Apostolicæ adminiſtrum. Verùm ob incerta successionis, & dominatum Henrici jam senis, brevì transiturum, sollicitâ Lusitaniâ, conventúsque trium Ordinum agitante, Gregorius seriò præcepit Frumento, abstineret prorsus negocijs publicis; perscriberet tamen ad se consilia, & inclinationes animorum, studia, vires & quidquid interveniret, non quod esset harum rerum cognoscendarum avidus, sed ut causâ ad ipsum delatâ, æquitati faveret, ac justitiæ cui non bene satisfit, nisi omnia nôris. Misit quoque Antonium Saulium, qui de Sebastiano mortuo Pontificium dolorem exponeret apud Henricum, quem etiam deterreret à nup-

tijs, quas ei ſeni effeto, Sacerdoti, ac Purpurato quidam ſuaſerant; neque Gregorius, interrogatâ Peritorum conſcientiâ, fas eſſe cenſebat, eas nuptias concedere, quæ peſſimo exemplo Eccleſiæ obeſſent, & nullâ prole Luſitaniæ prodeſſent: quæ enim ſobolis ſpes nubente ſene curis, & annis feſſo? acquievítque Gregorio Henricus, & pietati maximè addictus, & abhorrens nuptiarum, ætate jam ad ſeptimum ſupra ſexageſimum annum provectâ, Saulióque diſcedenti dono dedit adamantem, quem Sebaſtianus Rex ferre ſueverat, trium millium aureorum pretio inſignem, ut magnitudine doni oſtenderet quàm ſibi grata, & utilis admonitio accidiſſet. Inſuper Gregorio urgente, quædam abolevit, quæ videbantur Eccleſiæ immunitati adverſa.

Interim lis fervere de ſucceſſione, cui quatuor inhiabant: Antonius, quem ſuprà memoravimus, Ranuntius Farneſius- Catharina Brigantina, & Philippus Hiſpaniæ Rex, & veritus Gregorius, ne per vim, & arma res ageretur, unde ingens Chriſtiano Orbi calamitas, quà literis

manu

manu suâ promptis, quà legationibus serió monere, ut pacatè per jus, & æquitatem fori res transigeretur. Henricus verò quà senio, quà sollicitudine, angustiisque rerum fatigatus, in morbum mortémque incidit; relictâ prudenter administrandi tuendíque regni curâ quinque illustribus Viris, Georgio Almeidæ Archiepiscopo Ulyssiponensi, Francisco Salæ, Ioanni Tello, Ioanni Mascharenię, Didaco Lopio Sosæ. Hi ad Gregorium confugerunt, deprecati, ut juri, non bello litem successionis crederet, quo tandem innotesceret hæres regni, nullius irâ & invidiâ, & Gregorius tum eorum precibus commotus, tum suapte sponte pacis tuendæ cupidus, legavit eò Alexandrum Riarium Bononiensem Purpuratum, scientiâ juris & negotiorum præcellentem, jussítque Regem Hispanum adire, vitatâ morâ, per quam optima consilia vanescunt; sed impeditus itinerum difficultate, ac pestilentiâ, seriùs accessit, quàm debuerat. Hispanus autem rerum potitus, ad omnia firmandæ Lusitaniæ munimenta intendit; cúmque ei præfecisset Albertum Pur-

puratum, & ſororis filium, quò eum ſublatâ omni controverſiâ, Luſitani reverentiùs acciperent, popoſcit à Gregorio, ut eâdem, qua Henricus fuerat ornatus, Legati dignitate Albertum cohoneſtaret, allatis rationibus, quibus haud Gregorius aſſentiebatur, ratus, diſcreta eſſe debere ſacram & prophanam poteſtatem, & periculoſum Eccleſiæ auctoritati, uni omnia, præſertim in novo Regno committere; tandem victus precibus per biennium repulſis, ac indulgens Philippi meritis, in Sedem Apoſtolicam, rem ad Senatum Purpuratorum retulit, expoſitis Regis rationibus, & commendatis Alberti moribus, quibus ornari quodamodo dignitas videbatur. At Senatus etſi propenſionem Pontificis intelligeret, obſtitit; Aulæ Romanæ paucas provincias, & minora lucra ſupereſſe; ſi Luſitaniæ hoc tribueretur, haud poſſe Poloniæ, Galliæ, Germaniæ denegari: neque ſimul coire Regis, ac Pontificis auctoritatem: At Gregorius certus, nec Regem offendere, nec Senatum, ad biennium hac dignitate Albertum duxit poſſe uti, adjectis tamen ei ex Aula Ro-

Romana, ut vocant Collectore, ac Datario, qui negotia & lucra cognoſcerent; placuítque beneficium, & Senatui, quia breve; & Regi, quia conceſſum.

Cap. XXXIX.

Belgicis rebus ſedandis ſtudet.

JOanne Auſtriaco Belgicis rebus impoſito, ut ſalvâ Religione, paci proſpiceret, timuit Gregorius, ne pacis nomen obeſſet Religioni, & quamquam ſpectata Joannis pietate, ſpei propior quàm metui erat, tamen adverſus pericula minimè ſegnis, in Belgium miſit Philippum Segam, qui ſolertiâ & fide par negotio erat; mandatorum ſumma fuit: caveret, ne quid ſinceræ Fidei per pacis conditiones detraheretur: curaret, ut ad Ordinum Conventum proximè habendum, probatæ, non ſuſpectæ pietatis homines accederent: Zelandia, & Hollandia, vel Catholicis moribus informarentur, vel armis premerentur; Antiſtites Apoſtolicæ Sedi obſequerentur; Ordines quampri-

primum ad Pontificem Oratorem destinarent: demum apud Austriacum Britannicam expeditionem urgeret, non apertè, nè suspiciones, irásque aggereret, sed per abdita sermonum; verùm antequàm Sega adveniret, Pacis leges & ab Austriaco subscriptæ, & approbatæ consensu Theologorum Lovaniensium fuerant; quapropter nihil ausus tentare, ne quid glisceret novarum rerum, Fœderatorum animis suspensis potius, quàm compositis ad pacem, in ea se vertit, quibus Austriacum animaret, munirétque, exploratis Adversantium consilijs, & oblato ei quinquaginta millium aureorum subsidio, ex præscripto Gregorij, qui pecuniam adversus Britannos destinatam, in Belgij defensionem contulit. Certè dum cognovit, nihil secundùm vota Catholicorum peragi, & Orangium omnia moderantem, conjunctis cum Elisabetha, & Daniæ Rege viribus, obstare publicæ tranquilitati; à qua illis & hæresi metus: & prætèrea comperit admonitiones, literásque Pontificias, quas per Segam ad Ordines transmiserat, fuisse prompto verborum fa-

favore, ac ſpecie quadam reverentiæ, ſed nullâ morum, animorúmque inclinatione acceptas, non aliud cenſuit ſupereſſe componendo Belgio, quàm vim, & bellum; ageret ſeriò, conſtantérque Auſtriacus, & citò inſoleſcentes vires opprimeret, & nunc inſtandum armis, dum Ordines alieno ære preſſi, ſejuncta in factiones nobilitas, agri cultore deſerti, feſſæ bello Provinciæ, & milites earum auxiliares aliò converſi; ac in primis Eliſabetham oppugnandam, unde Belgis exitium. Atque ut id altiùs Hiſpano perſuaderet, juſſit eumdem Philippum Segam in Hiſpaniam proficiſci, ut Ormaneti loco inſiſteret Regis auribus, conſiliíſque; nam quæ propiùs audiuntur, altiùs animo ſedent. Paulò pòſt rebus turbatioribus, ac intremeſcente Fœderatorum audaciâ, quoſdam delegit Purpuratos, inter quos Antonium Perenottum, & Madrutium, qui Belgij adjumenta cogitarent; déque eorum ſententiâ alium ſtatuit in Belgium ablegare, qui de Belgica quiete unâ cum deſignatis à Cæſare hominibus diſſereret, conſilio ſatis proſpero, ſed fœde-
ratis

ratis ingrato. Verùm in expectatus rumor afflixit Gregorium ; attonitâ non minùs Europâ, quàm Româ; Mathiam Archiducem, Rudolphi Cæsaris fratrem (stimulantibus Elisabethâ, & Orangio, qui Austriacam potentiam in partes, ac mutuas iras tractant, eóque debiliorem volebant) susceptâ Fæderatorum curâ, adversus Hispanum Regem, ac Joannem Austriacum, prælia, & discordiam moliri, Belgio præesse, ac favere armatum hostibus; nec aberat suspicio Cæsaris, quasi dominatum ad Belgas invehentis: sed hic, se inscio, inconsultóque, hæc professus fieri, suspicione famam exèmit; At redeamus ad Gregorium, qui motu inopinio perculsus, abstinuit meditato, donec pateret, quem Hispanus Rex in hac rerum improvisa scena gestum faceret; neque tamen Regem deseruit, sed interpellato precibus Numine, ea exhibuit amicitiæ officia, tum apud Austriacos Germaniæ Principes, tum apud Hispanos, quibus irarum causas extingueret, non foveret; fortitérque institit Regi, ut sapienter, non ex ira ageret; neu acriùs in Matthiam insur-

geret:

geret: intercidente veniæ ſpe, inter cidere pudorem: ad prudentiam pertinere, ſi neſcio quid pertinere, ſi neſcio quid permittas: ne cuncta amittas: aliquando, & fortaſſe modò connivendum. Poſt hæc Cæſar, conſcio Philippo, quorum alter ſuſpiciones, alter tumultus abolere cupiebat, ſuaſit Gregorio, ut rebus afferret per ſe qualecumque remedium; at is abſque Cæſare nihil certus aggredi, primum ſolemni ſupplicatione edictâ, propoſitáque mortalibus noxarum veniâ, more Jubilæi, ac fuſis ipſe ad Apoſtolorum ſepulchra triduo precibus; divinam popoſcit opem, quâ humanæ vertuntur res; deinde per ſilentium, & arcanum (nam tutum quidquid ignotum) allegavit ad Cæſarum Ludovicum Madrutium utrique, tam Cæſari, quàm Regi charum, omiſſo tamen Legationis nomine, quaſi Tridentinam Eccleſiam, & domeſtica inſpecturum, ac ſponte profectum. Ubi Madrutius Cæſarem adijt, ſtatutus eſt locus, nempe Colonia, in qua Pontifex, Cæſar, Hiſpaniæ Rex, ac Belgæ, per deſtinatos homines, collató-

que

que consilio de rebus deliberarent, etsi optabat Pontifex, ut Cæsar ipse adesset, ac Philippus Rex accederet propiùs, quò reverentiâ Majestatis præcluderet aditum difficultatibus, ac præsentiâ festinationem afferret. Pontifex ergo Ioannem Baptistam Castaneum designavit; Philippus Carolum Aragonium Terrænovæ Ducem, Cæsar vero Archiepiscopos Coloniensem, ac Trevirensem, Episcopum Herbipolitanum, & Theutonici Ordinis Moderatorem; addidit etiam Comitem Schwarzenburgum, aliósque è Principis Cliviensis aula gratiores, quia Belgio vicini. At suos Belgæ homines miserunt seriùs, quà Orangij, & Isabellæ artibus impediti, quà allecti promissis Francisci Valesij, qui à Casimiro Palatino, aliisque incitatus jactabat, sese ab Hispanis Belgas vindicaturum. Neque prætermisit Gregorius, vehementiores ejus spiritus cohibere, misso ad eum Fabio Mirto, monitis Henrico fratre Gallorum Rege, ejúsque matre Catharina, impulsísque Venetis, ut Ioannis Michaëlis operâ Gallorum impetum retardarent, vel aliò converterent:

Cùm

Cùm ergo Nuncius Castaneus, Carolus Aragonius, aliíque delegati homines Coloniæ convenissent, habitâ ad superos conciliandos supplicatione, in quâ medius inter Septemuiros Nuntius incessit, demum ad Consilia ventum est: sed statim patuit, Batavos nolle paci consentire, nam ea petebant, quæ & Religioni & prudentiæ adversabantur, ac in primis, ut quam quisque vellet sectam profiteretur, extra metum, publiè in majoribus Urbibus, privatim in reliquo Belgio: non aliter Belgio consultum iri, quàm concessâ promiscuæ Religionis libertate, quæ alibi permissa haud Belgis deneganda. At Nuntius, cui post Aragonium hæc suadere conabantur, audita validiùs repulit, quo sanctiorem sustinebat personam: Mala, & incommoda Belgarum, quibus tam atrociter dolebant, Religionis è contemptu oriri, & magis crescere, quò magis Religio contemnitur: publicæ felicitatis haud esse certius munimentum, quàm sinceræ Fidei Sacramentum: frustra ostentari Belgio remedia, nisi unicæ & Catholicæ quidem Religioni serviatur;

tur; adverterent clades Urbium populorúmque ex eo profectas, quòd impunè fuerit interdum vagata Civium mens, ad prava & incerta sectarum: tangi Romanum Pontificem commiseratione jactatæ gentis, cui subuenire paratus erat, sed allatis remedijs, non illatis gravioribus malis atque in hanc rem se destinatum: posse quidem ut graviora effugiantur, leviora quædam mala permitti; at nequaquam ea, quæ per se deterrima, obruunt demum extremâ clade populos: caverent ab orangio, cui dum obsequuntur, seipsos perdunt, ac posteritatem; sed obfirmatis libertatis imagine animis, nihil persuaderi potest; atque hoc arcano nitebatur Orangius; ut incensi pervicaciâ Ordinum Hispani, & reliqui, Cætum tandem dimitterent exclusa pacis spe, ac auctâ belli cupiditate; ideóque Ioannem Nassovium fratrem Coloniæ jussit consistere, ut Ordinum delegatos adversum Catholicorum dicta muniret, tanquam potituros victotiâ, si persisterent petendo. Et sanè Orangij voto respondit eventus, nam datis conditionibus, & per querimoniam,

niam, ac injuriam rejectis ab Ordinibus, primum in Philippum, mox in Gregorium jactæ fuerê voces plenæ contumeliâ; Philippum, in extrema devenisse, Gregorium assentiri Philippo, & Belgicæ genti ultionem suppliciúmque intentare: nihil demum confici posse; neque Paci, neque Regi serviendum, nisi cujuscumque sectæ studia arbitrio relinquantur, ac genio; Quibus auditis, omnes tum Pontificis, tum Cæsaris, ac Regis violari majestatem censuerê; sed antequam cætus dimitteretur, ultimam clementiæ fortunam tentârunt, oblatis alijs conditionibus, per quas omnia concedebantur, præter Religionis libertatem; usquè adeò concordiam, & pacem omnes amabant; sed his etiam per arrogantiam, impudentiámque ab hoste repudiatis, ne inita pro quiete consilia gliscerent in semina discordiarum; cætu tandem soluto unusquisque ad sua redijt, non sine ingenti Gregorij dolore, qui pacatum Belgium optabat, ut inde Hæreticos, Barbarósque premeret, adjutus Philippi Regis ope, quæ id temporis summa erat, nisi Belgij tumultibus distracta fuisset,

Tantùm intereſt ad Chriſtianæ Religionis dignitatem, ac incrementum, nullam quati, turbaríque Provinciam. Recreavit tamen animum Gregorius ſpe, cognitis præclaris rebus ab Alexandro Farneſio geſtis, cui gratulatus, honoris & virtutis ergo, enſem ac pileum Imperatorium dono miſit, ut eſſent non minùs Pontificiæ monumenta benevolentiæ, quàm Farneſiæ munimenta fortitudinis.

XL.

Diſſenſiones, ac iras Principum tollit.

PRæter graviſſima Bellorum incendia, quibus reſtinguendis Gregorius, ſeſe impendit, plures exarsêre veluti flammæ, quæ in tempore non compreſſæ, accenſuræ videbantur diſcordias ſi non æternas, certè luctuoſas; & hanc præcipuam Gregorij laudem cenſuerim, demere fomenta injurijs, lenire iras, omnium commoda interpretari, nec alio quàm æqui reſpectu duci; & hac de cauſa confidenter Gregorij opem miſerrimus quisque advocabat, nec aude-

audebant Potentiorum animi adversus debilores insolescere, gnari, Gregorium esse Generis humani Rectorem, qui nec gratiâ, nec vi flecteretur, sed justitiæ consuleret, è qua oritur concordia. Et ne prolixâ narratione, uti assolet, fastidium gignatur, paucis plura hujus rei documenta complectar; etsi alia quædam initio Pontificatûs retulerim. Primùm quia nemo alienas turbas peritè sedat, qui suas amat; illud cavit accuratè Gregorius, ne ulli mortalium irasceretur sui causâ; dissimulare acceptas injurias, condonare damna, frangere dissensionum vires, non æmulari diversis studijs, oblivisci offensarum, abstinere malefactis, ac omnem denique motum cujuscumque sive ultionis, sive abalienationis, cohibere, loco Pontificiæ magnitudinis ducebat; ideóque nemo prorsus extitit, cui vel dolori, vel damno fuerit, quamquam non semel, nec ab uno violatus, nisi tamen vel Religionis, vel justitiæ periculum ingrueret; namque tueri pietatem, æquitatémque, quibus nititur humana felicitas, nemini debet esse fraudi, aut molestiæ. Cùm ergo Gregorius suas

nec iras, nec turbas amaret; promptiùs alienas ſubmovebat, inſtar parentis: Rudolphum Cæſarem abſterruit, ne Stephanum Bathoreum invaderet: Valeſium etiam graviſſimè arguit, moleſtias Hiſpano inferentem: & hac potiſſimum cauſa oderat Eliſabetham Reginam Britanniæ; eique arma, & ultionem adornabat: quòd principatus, & regna Catholicorum diſcordijs, ac ſeminibus calamitatum imbueret. Hiſpano inſtitit, ne vim Luſitaniæ faceret: Alphonſo Ferrariæ Duci, ulturo gratiſſimi hominis cædem, parata militum manu, præcepit, ne faceſſeret negotium Lucenſibus, qui miſſis Vincentio Parentio, ac Benedicto Bonviſio, ad Gregorium rem detulerant. Cæſarem extimulavit, ut certantes de ditione Montisferrati Mantuanum & Nivernenſem, quamprimum confectâ lite componeret, ne metu belli trepidaret Italia. Venetos Hieroſolymitanis Equitibus iratos, occupatis eorum proventibus, ob navim Venetam ab eis præreptam, ac etiam turbatos, quòd causâ triremium Melitenſium, Othomani rebus inſul-

insultantium, ipsi ab Othomano vexarentur, Cypro captâ, & tentatâ Cretâ, reconciliavit, his navim, illis proventum reddere jussis. Consuluit Neapolitanæ Urbi in Proregem tumultanti, ob Fabium Marchesium, ab eodem in carcerem conjectum, alio colore, revera quòd ipsi restitisset, donum Populi, non populi nomine ad Regem mittenti; & cùm Prorex obsequi sibi utilia monenti abnueret, Regem admonuit, qui animadverso periculo, accitum in Hispaniam eumdem Proregem tam severè increpuit, ut miser exciderit gratiâ, & vita: Composuit excitatas iras inter Henricum Galliæ Regem, & Gallici Regni Antistites, ob novum pecuniæ subsidium, quod ille ad æs alienum jam contractum dissolvendum efflagitabat, Antistites abnuebant. Franciscanos, qui ab Observantia cognomen trahunt, tum Gallos, tum Hispanos, inter se dissentientes (arte Christophori Caposontij, qui fretus Regis Henrici gratiâ, successorem adoptare pro arbitratu cupiebat) religosè conjunxit, Caposontio cohibito, & Ordini; Præside omnium suffragijs delecto, Fran-

ciſco Gonzaga. Orta Mediolani inter Regios Adminiſtros, & Carolum Borromæum certamina compoſuit, eúmque tam accuratè Philippo commendavit, ut is Borromeæ familiæ Aaronam arcem, quam Miles Hiſpanicus occupaverat, reſtituerit, & Sanctiſſimum Virum hoc etiam nomine plurimúm amaverit, quòd à Gregorio laudatus. Polonis quodammodo indignantibus, corúmque Rege Stephano conqueſto, quòd Hiſpanus ad ipſum literas daret majeſtatis plenas, tanquam Poloniæ regnum temneret, armis, virtutibus, & nobilitate dives, quamvis remotum, ideóque pluris æſtimandum; impetravit ab Hiſpano, ut benigniùs, humaniúsque ageret, datis alijs literis, quibus laudatâ tum Regis pietate, tum Regni magnitudine, ſuam Polonis benevolentiam approbavit. Stephanum autem Poloniæ Regem hortatus eſt, ad Auſtriacos amandos, colendósque, ſublatâ diſſenſionum nube, quæ Solem felicitatis obturbat; arma in hoſtes Catholicorum, non in Catholicos verteret; quod ſane ſpopondit, ac præſtitit, paratus, (ut Gregorio gratifica-

ficaretur,) & Catholicæ Fidei ſerviret,non modò arma, ſed vitam ponere, præclaro regiæ mentis experimento. At Gregorij labor in eo maximè fuit. ut natas inter Gallum, & Hiſpanum ſuſpiciones aboleret, quippe atrociores, ob diverſa animorum, Nationúmque ſtudia, & facilè erepturas in bellum Religioni pernicioſum, ac optatum Hæreſi; præſertim id temporis, cùm Franciſcus Valeſius in Belgium adverſus Hiſpanos ſe contulit armatus milite, ac minis, & Catharina ejus mater Antonio ſuppetias ac naves, Duce Philippo Strozzio, ſubmiſit; Ergo ut fortiùs malis occureret, Horatium Malaſpinam è Germania reverſum,ad Henricum allegavit, qui verbis Pontificijs Henricum moneret,ea, quæ offenſura Hiſpanos,aliorum invidiam incitabant, ac præſertim Franciſci fratris Belgicam expeditionem, & ſuppeditata Antonio auxilia; neque Rex hiſce auditis iraſci, ſed reſpondit: Franciſcum haud potuiſſe coërceri, ne in fratrem inſurgeret,mulò minùs cohiberi, ne Hiſpanos invaderet: illud ſcirent Hiſpani, ipſos jam Belgio exceſſuros fuiſſe,

si Henricus Francisco adfuisset. Recepisse quidem in fidem Antonium exulem, sed innato Gallicæ pietatis genio: arma verò, & auxilia non parata adversus Philippum, sed pro Catharina Medicea, quæ Lusitaniæ regno per vim à Philippo dejecta, vim jure intentabat. Cæterùm moneret Philippum Pontifex ut abstineret alieno; neque aliter arma quietura. Similia prompsit Catharina, sed querenti indignantíque propior. Quæ ubi rescijt Gregorius, statuit morâ impetum frangere; & certè videtur mitigâsse, nam Henricus ad Philippum perscripsit, se invito hæc à suis agi; si quos caperet, morte plecteret. Sed hinc nova & ingens querelarum irarúmque procella; fusâ enim, ac profligatâ ab Hispanorum Duce Sanctacrucio, Philippi Strozzij classe, nobilia Gallorum capita gladio, ignobilia suspendio multata fuerunt, miserando spectaculo; cujus atrocitatem simul ac ludibrium indignatus Rex, gravissimis apud Gregorium quereleis incusavit Hispanum, per immania illudentem sibi; Et verebatur Gregorius, ne ira bellum gigneret, ac demum vul-

vulnus supra remedium foret: quocirca nisus est per beneficia lenire furorem, Regi & Catharinæ si quid cupiebant, gratificatus; & in primis Catharinæ votis indulsit, cujus è consilijs pendebat Henricus; Optabat illa, cùm omnia referret ad potentiam, Francisco filio jungere Hispani filiam, sed ditione vel Neapolitanâ, vel Mediolanensi, vel Belgicâ dotatam, ut foret perenne pacis vinculum, rogavítq; Gregorium, ut id Philippo persuaderet. Assensit Pontifex, atque ut rem sibi cordi esse ostenderet, hac de causa ad Philippum allegavit Fabium Albergatum, nobilitate generis, mentis prudentiâ, doctrinæque magnitudine clarissimum.

Cap. XLI.

Hierosolymitanorum Equitum discordiam componit.

SEd nulla magis, quàm Hierosolymitanæ, seu Melitensis familiæ dissensio, prudentiam Gregorij nobilitavit. Joannes de Cassiera Gallus, Ordinis Magnus Magister, & supremus Moderator, ætate

quidem gravis, at corpore, animóque firmus, quippe octogesimum natus annum, viros, & nobilitate, & militari robore famâque insignes coërcebat severo imperio, paratus adversum refractarios; unde ingens illi ex severitate odium, quo adacti Equites incusare ejus senium, ut imparpræfecturæ, ac imperio: poscere alium, qui ætate florentior personam ejus gereret; & cum Joannes obsisteret, irâ præcipites Maturinum Leschù vulgo à celebritate roboris dictum Romegasium, tumultuarijs suffragijs ad regimen, imperiúmque attollunt; demum abdicatum Joannem, sive futuri metu, sive securitatem nanciscentes, conijciunt in Carcerem, trésque adGregorium homines designant, Ludovicum Sacavillam Gallum, Cosmum de Luna Hispanum, & Bernardinum Capicium Italum, qui facinus excusarent, imputaréntque Joannis senio, quasi is ineptus regimini, ijs moribus uteretur, quibus omnes offensi; at Joannes quà ignominia, quà ira turbatior, ne silentio, & patientiâ illatam sibi injuriam approbaret; duos quoque Equites, Franciscum

Guſ-

Gusmanum Hispanum, & Sebasciam Gallum Romam amandavit, ut Pontificem ad defensionem accenderēt: se Romæ causam dicturum: proinde aliquem mitteret, qui perturbatam Ordinis fortunam sustineret, ac regeret: Acerbissimè tulit Gregorius hanc clarissimæ déque Christiana Religione optimè meritæ Gentis discordiam, cui componendæ statim Pontificiam vim commodavit, ne discordia ruinam afferret. Igitur misso ad Melitam Gaspare Vicecomite, postea Archiepiscopo Mediolanensi, jussit eductum carcere Magnum Magistrum, & pariter Romegasium, ad se Romam accedere, quæ novarum rerum avida simul & arbitra, verientem Romegasium ut ambitionis reum, eóque inglorium destitutúmque comitatu, & benevolentiâ spectavit, Joannem verò seu senij, seu carceris commisseratione, solemni pompâ, lætitiáque excepit, & Gregorius eum benigné audijt, cúmque lacrymas perorando fudisset, solatus est: Haud esse innocentiæ timendum: se curaturum, ut sua factum pœna sequeretur, & afflictæ probitati sua es-
 ser

fec gloria: mox Romegasio præcepit, ut Joannem ceu Ordinis Moderatorem adiret, coleret; donec lite confectâ, de cujusque dignitate dijudicatum foret. Paruit ille, sed invisus aulæ, animóque tristis paulò pòst occubuit, cujus funus exacto mense Joannes secutus est, dum more patrio, immemor deficientium ex ætate virium, dat liberaliter è vena sanguinem. sic cecidere duo, eximia Hierosolymitani Ordinis lumina; uterque incertæ documentum fortunæ, alter ambitione, severitate alter; Extincto igitur Joanne de Cassiera, ingens cura incessit Gregorium, quippe Insulæ Othomano minitante, Equitibus in factiones divisis, nec ad obsequium pronis, verebatur, ne quid funestum, dolendúmque accideret, si comitia haberentur; Melitâ præsertim debilitatâ præsidijs, nec armamento instructâ; Igitur eo missis Ferdinando Majolino, & Gregorio Nibbio, vetuit inconsulto Pontifico agitari comitia, ac Melitam à quocumque adiri. Mox deliberavit, ubi agitanda, cúmque Romã præferrent aliqui, tanquam Urbem Pontificiæ voluntati obnoxiam, prætulit

ipſe Melitam, ne ritum moremque inverteret; inverſis moribus non tolli, ſed ali diſcordias. Et cùm poſſet ipſe ſpecie abolendæ diſſenſionis, Ordinis Principem creare, atque ad ſe novo arcano referre tantæ dignitatis initia, nullo pacto aliter paſſus eſt illum eligi, quàm ex conſuetudine; útque averteret rixas, & odia hominum ex affectu, ſtudióque, faventium; tres tantùm nuncupavit qui urnæ ac ſuffragijs committerentur, Franciſcum Paniſſium Avenionenſem, Franciſcum Muretonium, & Ugonem de Loubenx Verdalam, qui demum omnibus, hoc eſt ſexdecim eligentium ſuffragijs, dignitatem indeptus eſt. Et quamquam Gregorius propenderet in Paniſſium, nec Hiſpano ſuſpectum, quia Pontifici ſubjectum, nec ingratum Gallo, quia Avenionenſem & præterea modeſtiâ, & pacis amore probatum; tamen per quàm libenter gratulatus eſt Verdalæ, qui miſſo Fulvio Puccio, & obſequium detulit, & gratias egit de ſumma in Ordinem benevolentia, déque ſervata diſciplina, Mox rei certiorem fecit Hiſpanum, qui poterat iraſci, quòd Gallos

huic dignitati destinâsset: cujuscumque Patriæ sint hujus Ordinis Principes, ab Hispano pendere Insulæ Domino; se id Galliæ dedisse, offensiones vitantem, ac nova Ordinis discrimina. Denique cognitâ per Purpuratos Joannis mortui causâ, eum, uti vitæ integrum, innocentémque absovit, atque à prudentia, & pietate commendavit: falsò & calumniâ, & carcere circumventum. Multavítque Equites, ablatâ, quâ pollebant, abdicandi Magni Magistri potestate, ne deinceps necessitatis remedium abiret in licentiam. Neque tamen imminuit, sed auxit in Ordinem benevolentiam, assertis ejus privilegijs, in Gallia, Lusitania, Sicilia, etiam Instituto Societatis Jesu Collegio, quo pietati consuleret, pro pietate militanti.

CAP. XLII.

Augustanum Conventum in Sedis Apostolicæ officio continet.

PAulò antè memorare hæc debui, sed narrationum series aliud suasit, ne distracta molestior esset, ac inutilior; &

historia non tam annis, quàm rebus gestis constat; quippe quæ spectant eodem, magis conjuncta juvant. Rudolphus Cæsar post suscepta Romani Imperij insignia, statuerat Augustam Germaniæ, Imperijque proceres accersere, tum ad reparanda Germanorum negotia, ex turbis Belgicis imminuta, tum ad flagitanda auxilia adversus Othomanum, qui pactis cum Persarum Rege inducijs, Hungariæ, Romanòque Imperio imminebat avidiùs quòd afflictis discordiâ, & hæresi Provincijs vires deessent, animíque, ad hostem repellendum, milite armísque potentiorem. Sed Hæretici, Gens assueta tumultibus, atque errorum tenax, inde consilium cepêre, exorandæ per arrogantiam, & minas, Religionis profitendæ, corrumpendæque conscientiæ libertatem, ac præsertim eam rationem vivendi, quâ proventus, beneficia, honorésque Ecclesiæ quibuslibet hominibus, seu sacris, seu prophanis concednntur, promiscuâ largitione, quò magis vetitâ, eò magis gratâ: & augebant eorum audaciam Rudolphi trepidatio, & invalida viribus potestas, Hispani robur in

Belgio attritum, aliáque Catholicæ Religionis incommoda. Ergo censuit Gregorius, sibi pro retinenda Catholicæ rei disciplina laborandum, quò magis hæretici ad deteriora ferebantur, eóque legavit Ludovicum Madrutium Purpuratum, & claritudine stirpis, & rerum Germanicarum scientiâ, ac in primis Cæsaris gratiâ florentem. qui optimum ratus, Principum animos voluntatésque statim captare, ne ad Hæreticos inclinarent, accurata scriptione prompsit incommoda, & damna, quibus Germania affecta fuit, ac pænè pessumdata ob auditos, exauditósque in reliquis conventibus sectarios: eos more Serpentum, etiam cum blandiuntur, venena inspergere: nisi deprimerentur, audacter insurgere, depressos vanescere. Et licet Gregorium, Legatúmque terrerent plurima, sed præsertim Catholici pauci, & discordes, tamen fortiter adversa stustia vicerunt, Gregorius fusis ad Deum precibus, & perscriptis ad Catholicos Principes literis, & Legatus, animum Cæsaris, & Principum solerter captando; gratiâ enim & benevolentiâ vincuntur Prin-

cipum

ciptum animi potiùs, quàm metu, & minis, nihílque magis cavendum in cœtibus, conventibúsque Hominum, quàm aſperitas morum, cui nihil proſperum, quia ſemper invidioſa. Vix inchoato Conventu, Archiepiſcopus Magdeburgenſis, cùm eſſet Septemviri Brandeburgenſis filius, eóque ſpei ſecurus, ſibi tanquam Germaniæ Primati Antiſtiti, ut ſedendi locus attribueretur, poſtulavit. Sed Legatus intellectâ rei gravitate, acriter, ſolertérque contrà certavit, allocutúſque ſingulos tum Principes, tum Antiſtites Catholicos, ut ille conventu abſcederet, effecit. Si Catholici hâc victoriâ uſi fuiſſent, Proteſtantium fregiſſent audaciam, quæ ſemper vilior eſt, dum ſpernitur, repellitúrve; quippe inter alios Julius Herbipolitanus Antiſtes, cauſam fidei, ac Sedis Apoſtolicæ propugnavit conſtanter, ac magnificè. Joannes Trevirenſis Archiepiſcopus, & Septemvir, poſtulavit, à Gregorio ſuæ auctoramentum dignitatis, & publicè ſacro Pallio cohoneſtatus à Legato Pontificis Romani, ejus tum auctoritatem, tum majeſtatem, ſupra reliqua Antiſtitum capita

pita

pita commendavit; Cæteri altioris Ordinis Principes, ac præsertim Gulielmus Bavarus, palàm professi Catholicæ Religionis defensionem, terrori fuêre hæreticis, ac in primis ipse Rudolphus Cæsar in privato, ac secretiore Principum consessu, arguit quosdam politicis potiùs rationibus, quàm Pietati servientes, & tacto Imperatorio pileo, disertè, apertéque testificatus fuit, malle se de capite abijcere diadema, si cum Religionis Catholicæ damno illud sibi gestandum esset. Quæ Gregorio nuntiata, summam attulere lætitiam, quòd insolescentibus Hæreticis, major Ecclesiæ, Sedíque Apostolicæ esset reverentia. Sed repentè seu ignaviâ Catholicorum, seu suarum desperatione rerum Hæretici, nefarijs vocibus in Gregorium, Rudolphum, & Legatum exardescere. Antistites Septemviri, ac Legatus contrà eloqui: Eò Sectariorum evasisse audaciam, ut illo in consessu impunè ac audacter Orbis Principibus, Pontifici, & Cæsari insultarent; constare Gregorij erga Germanos amorem, Sole, ac luce clariùs; duci quidem illum divinæ studio gloriæ,

gloriæ, & Pontificijs curis agi, ut malis, hæresibúsque mederetur, at mederi non atrociter, sed leniter, & ex Juris præscripto. Licere Sectarijs vastare Ecclesiam, Germaniam quatere, Orbem universum pessumdare, cur non liceret Gregorio eumdem tueri, sustentare, ac servare? haud esse consentaneum rationi, Lupo fremere, ac sævire, Pastorem autem connivere. Quæ audiens Rudolphus, metuénsque turbarum, perceptis subsidijs, dilatísque in alia tempora de Religione consilijs, materiam subtraxit sermonibus, ex quibus non rarò tumultus; Dimisitq; Conventum, ne ferueret in seditionem, nec Religioni, nec reipublicæ utilem. Cum autem rumor efferbuisset, Rudolphum inter ac Hispani filiam agitari connubium; Gregorius per Legatum suasit Cæsari, ut tempore usus, Italiæ majestatem Cæsaream commodaret, ibíque à Pontifice, vel Bononiam accessuro, Imperatorium diadema, more veteri acciperet; Neque abnuit ille, sed famâ nuptiarum evanescente, spes quoque tam præclaræ obtinendæ consuetudinis abijt. Atque hic liquet, quâ constantiâ

ſtantiâ Gregorius veteres Eccleſiæ mores, & retinuerit ipſe, & retinendos inſinuârit Principibus: quippe ſtat Eccleſia, retento veterum more.

Cap. XLIII.

Alia præſtat in Germania, & Belgio, Religioni Catholicæ utilia.

FElicianum Ninguardam in Germaniam miſit[1], quo Fidei Catholicæ, vel periclitani, vel labefactatæ, vel etiam dejectæ, ubique conſuleret; qui fretus Gregorij auctoritate, in Carinthia, in Tiroli, aliiſque locis, plura vel ſinceræ Fidei, vel probis moribus adverſantia abrogavit, alia compoſuit, non pauca emendavit, citra invidiam, metúmque, quia extra vim, & ultionem; nam cum gemina ſit comprimendæ hæreſis & nequitiæ ratio, vel violenta per arma, vel ſuavis admonendo; poſteriorem Gregorius probavit, gnarus, auctoritatem ſæpius clementiâ niti, & quadam agendi dexteritate: meminiſſent æternæ animorum jacturæ, quæ certa erat

am-

amplexantibus hæresim, aut nequitia m; non eligenda jucundiora, sed utiliora.

Carolum Archiducem Austriæ, ob pecuniæ difficultatem, & injecto imminentis Othomani terrore, in summas angustias Hæretici conjecerant; ut vel assentiendum Hæreticis foret iniqua reposcentibus, aut præ inopia denegatis subsidijs, cedendum irrumpenti Othomanoo. At Gregorius hoc comperto, illi metum, hæreticis audaciam dempsit, procuratâ eidem aliunde pecuniâ, ac etiam ex Pontificio ære missis quinquaginta aureorum millibus; Quo subsidio recreatus Carolus, ac etiam instructus Nuntij Malaspinæ præsentiâ, qui jussu Gregorij Carolo aderat, munimenta parare adversus Othomannũ; exilia denunciare Hæreticis; Probis, & Catholicis viris credere ministeria morum, literarúmque; fortiter minas repellere; audaces multare constanter. Atque ita conterriti Hæretici manus tandem Carolo dederunt, qui obsecutus Gregorij consilio, sustentatâ religione, potentiam quoque sustentavit.

Versabatur Viennæ Josue Opitius, ger-

germana Lutheri proles, qui ſuccinctus ope Nobilium Lutheranorum, & in primis cujuſdam Ludimagiſtri pernicioſis concionibus, turbabat Urbem libertatis avidam, & novis ſermonibus intentam, Admonouit Gregorius, inſtigavítque Rodulphum Cæſarem, ad peſtem ab Urbe depellendam; at Nobiles abſterrebant minis, graviorum metu malorum, promiſſis, & oblatis pecuniarum adminiculis, ac præſertim Conſiliarij, diſſenſionibus ſerendis tempora & locum nacti; Neque Rodulphus illis conſentiebat, quà Gregorij monitis, cui gratificari avebat, quà inſitæ pietatis ſtimulo incitatus, quà etiam Erneſti fratris, aliorúmque Catholicorum verbis, & ne timorem metúmque præferret, quo nihil famæ Principum infenſius. Inter hæc, caſus pro remedio fuit. Solemni pompâ de more circũferebatur per Urbem Evchariſtia, Cæſare, ac Proceribus, deducentibus cùm repentè orta ex modico turbatio, & ex turbatione tumultus; omnibus vel in fugam vel ad arma dilapſis, ac præſertim Hæreticis, qui ad quatuor millia coiêre, terrorem ac metum oſtentantes;

Cæſar

Cæsar tamen ſpreto tumultu, inſtitit pompæ impavidâ pietate, ac reverentiâ: fruſtrâ indignante Opitio. Re vulgatâ, Gregorius ſeverioribus literis, tumultum, Providentiæ vocem interpretatus, Cæsarem impulit ad audaciam ulciſcendam, ne inulta foret exitio; Sic tandem Opitius, ejúsque clientes Viennâ, Auſtriacáque ditione ejecti, graviore multandi pænâ, ſed ancipite, variáque factionnm Urbe, ſatius eſt oſtentare, quàm inferre graviora ſupplicia.

Cùm Princeps Clivienſis, ſeu metu, ſeu pacis ſtudio propenderet ad vota, precéſque ſubjectorum, qui libertatem amantes, proniora ad hæreſim, quàm ad Catholicam fidem ingenia præſetulerant, Bartholomæo Portio miſſo, eò adduxit, ut denegato Confeſſionis Auguſtanæ uſu, non modò poſtulationibus iniquis haud conſenſerit, ſed ſpoponderit Gregorio, ejus conſilijs ſe obſecuturum, cupiens non tam ſubjectorum, quibus imperandum eſt, quàm Eccleſiæ, cui parendum, gratiam aucupari.

Plura alia egit Gregorius, quæ ſi vellem

lem expromere, haud finem narrationi facerem. Duo tantùm afferam, quorum alterum in Belgio, alterũ in Germania præstitum. Monitus fuerat à Philippo Hispaniæ Rege, novas in Academia Lovaniensi, de igne purgante, de charitate, de libera hominis arbitrandi facultate, à Michaële Bajo seri opiniones, quæ in tanta hæresum colluvie, quibus & Belgium, & Germania scatebant, facilè incommodâssent Ecclesiæ, satis afflictæ. Sed ne ignem accenderet, per silentium, & quietem rem transegit, destinato ad Michaëlem Bajum Francisco Toleto Societatis Jesu, qui sine turba & ira eum allocutus, jactísque sermonibus, paulatím eò provexit, ut testaretur, haud probè fuisse pronuntiârat; cæterùm se haud alia opinari, & affirmare, quàm ea, quibus Romana, & Catholica Ecclesia assentitur. Mox ipse Bajus, & cum eo reliqui Academiæ Professores, conceptâ sacramenti formulâ in ea verba jurârunt. Sic discussum ingens Ecclesiæ discrimen: & Gregorij prudentia edocuit Posteros, non tam minis aut scriptionibus; quibus compugnantur, & avida ultionis feriuntur

ingenia,

ingenia, quàm placido Charitatis & prudentiæ ſtylo deleri labes errorum; ſaltem haud exercenda eſſe opinionum tela, quæ neglecta, vel non oſtentata obtunduntur. Ut autem Gregorius alacriùs excitaret Academiæ induſtriam, ad ſapientiam, Religionémque fovendam, ingentis pecuniæ vim illi attribuit. Et ſanè præclariſſima Principum, Pontificúmque ars eſt, aurum dare, ut ſapientiam referas; quippe docti viri niſi foveantur, cum inopia luctantur, & ex inopia, Sapientiæ contemptus.

Hoc in Belgio, ſed in Germania alterum. Joannes Palæologus Natione Græcus, patriâ Chienſis, poſt deſertum Religioſi Ordinis ſacramentum, in ſcelera & nefaria dogmata præceps, in carcerem ſæpè conjectus, ſemper evaſerat; ſub obitum denique Pauli IV. eluſit Romanam in Sacro tribunali cuſtodiam: & in Galliam, mox in Germaniam pervaſit; gratiſſimus Urbibus, Principibúſque, ſeu quia Græcis artibus excelleret, ſeu dæmonis arcanâ ope adiutus. Nihil adeò abſonum, vel veritati, vel religioni erat,

quod ipse non facilè persuaderet. Demum profectus Viennam, vinculis mancipatur, jussu Rodulphi Cæsaris, à quo Gregorius statim petijt ut facinosorum hominem redderet Sacro Tribunali, cujus reus erat; capite damnatum à Pio V. Pontifice, haud posse vivum incolumémque detineri. Fremuêre Principes Protestantes, adversus Gregorium, & suadebant Rodulpho, ut falleret Pontificis spem: Haud fas esse, Romam è Germania reum deportari. Quid Romano Tribunali cum Germanico carcere? At Cæsar Gregorio maluit obsequi, tradidítque Nuntio Palæologum, qui Romam adductus, cùm jam flammis inijciendus esset; versâ mente abdicavit errores, ac publicè pænitentiam pœnæ conjunxit. Usque adeò Religionis tuendæ constantia, pervicaciam frangit obstinatæ mentis.

Cap. XLIV.

Motum Salutiarum cohibet.

Rogerius Bellagarda, seu ambitione, seu irâ in Henricum III. Galliarum Regem,

Regem, seu Principum circum dominantium studijs, auxilijsque incitatus, Salutias occuparat, Carolo Birago Præside fugato, se Carmagnolam abdens, adversus Regis impetum; Statímque sub ejus umbra, & patrocinio, efferbuit hæresis sceleribus immista. Gregorius, qui & Italicæ quieti, & Religionis securitati invigilabat, anxius, eam turbari oram, quæ totius est Italiæ janua, ac propugnaculum, primò perscriptis ad Bellagardam literis, non per iram & minas, sed leniter, ac cautè, nunc rogantis, nunc hortantis specie, admonuit, ut ne tam calamitatū ferace Europâ, Italicæ quieti invideret, neu iram Populorum in se armaret: sapienter, & piè ageret; quâ Pontificis lenitate victus ille, facinus excusavit, non odio Regis, aut Religionis patratum, sed hostium, & insidiarum necessario metu; se nunquam hæresibus aut favisse, aut fauturum, sed Catholicam fidem tueri, ac regiam, Pontificiámque benevolentiam appetere. Deinde Gregorius Principes consuluit, ut eorum consilio, ac auxilio adiutus, citiùs incendium opprimeret, & operâ Anselmi Dandini

Nuntij usus, Henricum in suam pertraxit sententiam; & sancivit cum Venetis fœdus, quo conjunctis copijs novi conatus comprimerentur. At percontatus operâ Ferdinandi fratris, Franciscum Mediceum Magnum Hetruriæ Ducem, quid ille censeret de hac flamma, cùm audisset, à Gallis & Sabaudo excitari, necessariúmque esse ei sedandæ, Pontificis cum Venetis, & Hispano fœdus; timénsque, ne ipse suscitaret incendium, dum repellit; consilium à tempore mutuatus est; suspensâ deliberatione, donec innotesceret, quid Gallus, & quid ultrà Bellagarda molirentur. Consilium probavit eventus; nam paulò pòst Bellagarda Henrico reconciliatus, & Salutijs præfectus, quæ promiserat Gregorio, sanctè præstitit; Hæreticis inde pulsis, & Societatis Jesu Hominibus, ad hæreses arcendas, tuendámque pietatem, Carmagnola & Salutiis advocatis; imò coram testibus expiatâ apud Sacerdotem conscientiâ, ut apertum Fidei Catholicæ testimonium afferret, dum Pontifici, Cæsari, cæterísque Catholicis Principibus studet, mor-

bo

bo pressus occubuit. Usquè adeò reverentia Gregorij apud eum valuit, qui nulli mortalium cedebat; nimirum benevolentiâ, & humanitate potiùs, quàm terrore ac minis Pontifex Principes capit. Reliquit Rogerius hæredem Cæsarem Bellagardam, qui paternæ pietatis æmulus, ac reverentiæ, Gregorio spopondit, se ApostolicæSedi addictũ fore, ac sanguinem, vitámque Catholicæ Fidei, si locus daret, litaturum. Regebat ipse quoque Salutias, putabátque, se illius tractûs dominum, cùm revera præfectus esset, ideó Henrico Regi Salutiarum possessionem repetenti, offerentique Carmagnolam, maluit obsistere, quàm obsequi, stimulatus in primis à Petro Anselmo, nefario homine, qui per turbas potentiam quærebat. Sed coactus à Sabaudo cedere, venienti pro Henrico Vallettæ Salutias dedidit, intentus tamen ad occupandam Carmagnolam, quâ captâ, terrori erat. Sed ejus custodiæ impositus Volveria, miles Catholicus, & pius, qui non nisi Sabaudo, aut Gregorio eam tradere decrêrat, & impetus infra spem, ac possessio-

nem fuit. Interim rogatur Gregorius, ut ea loca vel expedito milite occuparet, vel accomodatâ Henrico pecuniâ, acciperet. Et incertus sententiæ; nam periculosum eas oras relinquere, quibus hæresi infectis, Italia inficeretur; at emere tali pacto, haud placebat; an quia difficulter ea tenentur, quæ locata in sinu multorum Principum suspicionem, ac metum præbent? demum respondit, sibi potiùs arridere pacis, & concordiæ consilia; Traderentur ea loca ijs, quibus jure ac per æquitatem deberentur. Verùm inter hæc extincto Philiberto Sabaudiæ Duce, successor Carolus Henrico gratificaturus, litem sustulit, Carmagnolâ ei promissâ, non sine ira Cæsaris Bellagardæ, ac Petri Anselmi, qui multorum Principum auxilijs freti, res novas meditabantur. Sed Pontifex Italicæ paci consulens, immodica tentamenta compressit, Principibus monitis, ne anguem alerent, cujus veneno ipsi primùm afflarentur. Atque ita Bellagarda & Anselmus deserti auxilijs, Henrico ac Paci consensêre; non sine summa Gregorij laude, qui hoc facto pro-

prodidit, sibi non ignaviâ, sed necessitate pacem probari, dum arma movere non timuiit, ut pacem firmaret.

Cap. XLV.

Sabaudiæ prospicit.

SUccesserat Philiberto Carolus, indole major, quàm ætate; Et cùm plurimum referat, Sabaudiæ Ducem Italiæ fines & propugnacula tenentem, Catholicæ Religionis amore, Sedísque Apostolicæ reverentiâ imbui, ne quid sinat subrepere in Italiam perniciosum, aut quieti aut pietati, Gregorius veritus inconstantiam ætatis, quæ non raró decipit, quamvis Carolus eximium præberet Religionis specimen; & comperto, consilijs pravorum hominum ei offerri nuptias cum Sorore Regis Navarræ, fœminâ hæresibus ante omnes deditâ, jussit Vincentium Laureum Nuntium ad Carolum adire: Si fæminam Catholicam amaret, cuicumque nuberet; si hæresi corruptam, omnino absterneтur; plerósque principatus corruptos per fæminas, quibus haud cre-

dendum: blandiri eas, & nocere: insuper Hæreticos hac affinitate abusuros: Hispanum, & Gallum quoque desertos, ac neglectos à Sabaudo, posse irasci. His cognitis Carolus, & perceptâ Gregorij voluntate; haudquaquam se ait, velle cupere quicquam, aut Principi Catholico impar, aut ingratum Gregorio, cujus à consilijs pendebat. Mox Gregorius Catharinam, posteriorem Hispani Regis filiam, jussit Carolo proponi, quæ si Carolo probaretur, suasurum se Hispano, ut ei nuptui traderet. Non respuit ille, ac suadente Gregorio Philippus, qui firmare avebat Italicam ditionem Caroli spe, ac potentiâ, libenter tradidit, gnarus, inesse Carolo regiam mentem. Sic eluso Hæreticorum conatu, confectæ sunt nuptiæ, quibus Vincentius Laureus jam purpurâ clarior, nomine Gregorij gratulantis interfuit, Sed novus animi impetus Carolum egit ad bellica consilia: Siquidem multorum hortatu, qui ex bello, rebúsque turbidis lucrum & præmia sperant, adductus, bellum indixit Gulielmo Mantuæ Duci, recupe-

cuperaturus Montisferrati ditionem, quam ad se pertinere censebat, Itaque militibus à Petro Anselmo copiarum ductore instructis, jam invadere loca, terrorem jactare, possessioni inhiare, Sed Gulielmus impar viribus, ac necessitatem armorum timens, ex qua vel jactura possessionis, vel ingens ærarij detrimentum, & hoc exhausto minoribus Principibus certa calamitas, ad Gregorium confugit, qui suapte sponte proclivis ad Italicæ gentis quietem, Carolo meliora persuasit; haud esse id temporis, quo ubique bella fervebant, vexandam Italorum pacem: sua servare, non aliena invadere, tutius; nam turbidis temporibus pari sorte aliena occupantur, amittuntur sua: non esse vicinis Principibus suspicionem ingerendam, mentis aut cupidæ, aut inquietæ: Vicinum tolerandum, qui sit debilior, & infra tuas vires, & quem terreas; ne accedat alius viribus validior, quem timeas. Ergo Caroli Ducis consilia, omisso Mantuano, conversa sunt ad oppugnandam Genevam, hæresum, hæreticorúmque perfugium. Sperabat Rhætorum auxilia, &

 opem

opem Henrici Galli, qui ſpopondit literis manu regiâ exſcriptis, redditâ à Sabaudo Carmagnolâ, ſe huic expeditioni præſtò futurum, quà collectâ militum vi, quà ſubſidijs. At Gregorius prudentiâ & futuri metu anceps, ubi hæc audijt, approbare quidem conatum, Religioni ac Italiæ per commodum, verreri ſe tamen, ne diſpar voto exitus Caroli famam, quæ primis conatibus valida eſt, corrumperet; eíque rationes ſcripſit, quibus victoriæ diffideret, an Gallus revera opem ſpopondiſſet? an Helvetij fauturi? Neque Gregorium fefellit eventus. Et Carolus, quà Henrico obſtante, quà deſtitutus auxilijs, deſtitit obſidione; Gregorius autem Carolum ſolatus eſt; æquo animo ferret jacturam: & loco victoriæ caperet documentum: non alienis, ſed ſuis rationibus metiendos eſſe conatus: alienis, & nullis viribus niti, idem prorſus eſſe; cum Henrico tamen queſtus eſt acriter, eum non modò regiæ dignitati illuſiſſe, regio verbo ſpreto, ſed Religioni Catholicæ: cui ſectariorum patrocinium prætuliſſe, quid erat, niſi fidem regiam

accom-

accommodare Sectarijs, denegare Catholicis? At ille factum excusavit: se majorum insistere vestigijs: consultum à se Catholicæ rei. Et fortasse non minùs verè, quàm magnificè respondit, quippe Gregorius ipse pertimuit, ne Genevæ obsidio Italiæ clades foret; hæreticis ad ultionem è Gallia ruentibus; & eó magis id credidit, quòd paulò ante iratus Philiberto Sabaudo, qui Bellagardam fovebat, unâ cum Rhætis idem Henricus conspirârat ad Genevam defendendam; gnarus, Italiam sibi patere; Atque idcirco abstinendum armis, ne in præsens læta perniciem demum afferrent. Sabaudus autem agnitâ Gregorij benevolentiâ, subtraxit se consilijs, quæ præcocia semper cum invidia, non raró cum exitio, ad pœnitentiam properant; & paratus obsequi, excelsâ illâ mentis vi Gregorium coluit, eíque gratificatus, ad Pontificia litora custodienda, suas destinavit triremes; ac Sacris initiatos homines, vectigal solvere vetuit, solutúmque restituit. Tanti Gregorium fecit magnanima Caroli Sabaudi indoles, cui adultæ, ac maturæ nihil aliud
 defuit,

defuit, in summa gloria, quàm Gregorij consilium.

Cap. XLVI.

Kalendarium, & Martyrologium emendat.

DIfficillimum, ac sæpius à Pontificibus tentatum opus, Gregorius quoque aggressus fuit, atque absolvit, insigni Generis humani, Ecclesiæque Catholicæ commodo; sacrorum videlicet fastorum correctionem, & stabilem anni normam; ad quam dies Paschalis revolveretur, certâ, nec aberrante periodo. Siquidem primarium Ecclesiæ Catholicæ arcanum est, suos ita celebrare ritus, ut à Judæorum cæremonijs distent, ac præsertim diem illum, quo Christus redivivus, humanæ salutis trophæum, victor erexit, tam sanctè venerari, ut nec temporis spatio convenire possit cum anniversarijs solemnibus Judæorum. Præterea constituto Paschali die, tanquam fundamento & cardine Christianæ pietatis, certiùs, ac sanctiùs festi dies, ritúsque peraguntur. Idcirco lege Nicæni

Nicæni Concilij ſtatutum fuit tempus, quo Paſcha ſeu Chriſti reſurgentis dies, anniverſario animorum ſtudio recoleretur. Sed præſtituto tempore, paulatim vel ex mora lapsúque dierum, vel ignoratione hominum immutato, verendum erat, ne errore magis gliſcente, ac neglecto remedio, Reſpublica Chriſtiana plurimúm perturbaretur; nam ex ordine pax, ordo ex tempore. Itaque Gregorius, cui nihil difficile videbatur, quod erat reipublicæ commodum, neceſſariúmve, adſcito virorum Mathematicis præſertim doctrinis inſignium cætu, decrevit, hoc volubile temporis monſtrum, Eccleſiæ periculoſum, omnino tollere. Et favit conſilio Providentia, quæ non rarò differt felicem rerum exitum, ut nobiliter. Et ſanè haud unquam clariùs confici hæc nova temporis ratio potuit, quàm auſpice Gregorio, cui obſequi, Principes incrementum majeſtatis cenſebant, ideóque laudare omnes, & complecti, quæ ſanciebat. Rem ita breviter confecit. Omiſſâ incertarum opinionum nube, quæ potiùs obſtruit, quàm reſerat lucem veritatis, duos legit

eximios viros, Vicentium Laureum, & Christophorum Clavium, quibus perpendendas dedit Aloysij Lilij hac de re commentationes, & hisce inspectis, ac ferè probatis, rem eò pertraxit, ut destinatum à Nicæna Synodo Paschalibus solemnibus tempus restituerit, subtractis decem diebus, ac certis dierum intervallis in postera tempora, quà sublatis, quà adjectis. Mox ad Principes, Academiásque terrarum missâ emendatorum fastorum normâ, exploravit ingenia, & voluntates; admonerent, siquid ingratum, aut aberrans; hæc non tam auctoritate, quàm consilio perfici. Cùm autem pari voluntate omnes consensúque in ejus consilium conspirâssent, jussit Mensi Octobri anni à parta salute 1582. decem dies abscindi; atque ita quintus ejusdem Mensis dies dictus est decimusquintus. Deinde libello edito, quo restituti ratio temporis continebatur, & in Provincias evulgato, cæpêre omnes hâc formâ uti; quamquam Germania, alibíque reclamatum ab Hæreticis, quibus libido repugnandi, pro studio veritatis est; sed paulatim elusis, supe-

ſuperatíſque difficultatibus, & prodigijs rem approbante Deo, ipſi quoque Sectarij manus dederunt, ac opportunum, neceſſariúmque cenſuêre, quod odio, invidiáque damnârant. Quin imò Græcæ Nationis, opinioníſque homines, tantâ emendato Kalendario, in Romanam Eccleſiam, Gregoriúmque exarsêre benevolentiâ, & obſequio, ut Hieremias Conſtantinopolitanus Patriarcha ad Latinos ſe verterit, ac ſubjecta ſibi agmina populorum Romano Pontifici conciliâſſet, niſi fraus, & ambitio quorundam Hieremiæ obſtitiſſent, an potiùs arcano Providentiæ, alia tempora expectantis?

Kalendario compoſito, Sacros quoque Sanctorum faſtos, & Romanum, quod vocant Martyrologium, accurata doctorum virorum induſtriâ recognovit, nè ſibi ipſi pietas imponeret; ſublatis, quà inanibus, quà falſis hiſtorijs; & adjectis ex vero narrationibus, pluribúsque Sanctorum nominibus, quæ jacebant ignota. Res accidit memoratu digna. Dubitabatur, an Felix, hujus nominis Secundus Pontifex Maximus, inter Nomina ſanctimo-

ctimoniâ & religione venerabilia retinendus esset: quippe nonnullorum Scriptorum testimonio, ejus fama pietatis in suspicionem venerat. Et jam ex Albo Sanctorum expungendus erat; cùm Romam Mediolano accessit Vir, veterum historiarum peritus, qui ex antiquis membranis d dicerat, Romæ in foro Boario, inter Templum Pacis æternæ, ac Delubrum Antonini, & Faustinæ, eò loci, ubi Sanctorum Cosmæ & Damiani memoria venerationi est, ingentem vim pretiosæ suppellectilis abditam esse. Spes lucri, cupidinem scrutandi accendit; ac indulgente Gregorio, terram fodit; quæ effossa arcam obtulit, in qua latebant cineres Felicis Secundi Pontificis; & hic venerando prænomine Sanctus appellabatur. Gavisus Gregorius, & Felicis memoriam fastis consecratam reliquit, & reliqua Sanctorum ossa unà reperta, præclaris locis commendavit, ac in primis Abundij, & Abundantij, quæ in Templum Nominis Jesu splendidè, magnificèque invecta, pretioso monumento augent templi majestatem, Ita Gregorij studia in Superos,

ros, Ecclesiámque fovebat, & commendabat Deus.

Cap. XLVII.

Japonum legatio.

IAponia, Orientis insula, toto divisa Orbe, ac in angulum rejecta, nunquam magis, quàm in tanto rerum, temporúmque, ac hominum conflictu Ecclesiæ se approbavit, expers Christianæ lucis. Hanc primus in eam Franciscus Xaverius è Soc. Jesu invexit; mox alij ejusdem Societatis homines sustinuêre invectam, aut auxêre quà patientiæ, quæ apud Japones loco auctoritatis est, quà doctrinæ studijs evulgato superstitionis dolo, Ethnicorúmque Sacerdotum fraude retectâ; unde fama veritati, & decus. Ventum est demum ad Gregorij tempora, qui comperto apud Japones religionis progressu, eò Pontificias curas vertere, benignioribus literis Nobiles animare, excitare Collegia, aurum & munera mittere, omnibúsque præsidijs firmare pietatem, & jacta Religionis semina excolere; quibus paulò pòst fru-

ctús

ctus respondit uberrimus. Itaque Japones, quorum indoles ad virtutem, generosósque spiritus proclivis, censuêre, grati animi studio, tantam Gregorij benevolentiam, beneficentiámque certo monumento venerari, & Legationem destinant, eò gratiorem futuram, quò minùs expectatam, & nunquam visam. Bungi Rex Franciscus, Protasius, Arimæ, ac Bartholomæus Omuræ Princeps, Mantium Jto, ac Michaëlem Cinga, regij sanguinis adolescentes destinavêre, adjunctis Juliano Nacaura, & Martino Fara juvenibus, indole ac nobilitate summis. Hi omnes, comitantibus Hominibus è Soc. Jesu, itinerum, rerúmque peritis, ac navi Lusitanæ commissi, Nangasachio Japoniæ nobili Urbe solverunt; profecti primùm Amachaum, mox Malacam, demum Goam, post innumeras viarum ærumnas triginta mensibus toleratas, attigêre Ulyssiponé, novo spectaculo attonitam, & exultante exceptíque magnificè ab Austriaco Alberto Lusitaniam moderante, inde Matritum progressi, habitu, animóque Japonico adiêre Philippũ Secundum, Hispania-
rum

rum Regem, qui majeſtate & ingenio gravis, præclarâ illa ſpecie commotus, in amplexus ruit Rege dignos, indulsítq; majeſtate poſthabitâ, totus amori, & benevolentiæ. Matrito in Italiam diſceſsére, Romam verſùs. Jámque ſpectatâ Florentiâ, propiores erant Pontificiæ ditioni; Ergo Gregorius lætitiâ expectationéque ſollicitus, re ad Purpuratos relatâ, juſſit ad ſe litterarum regiarum perferri exemplar, ut ſanciret excipiendi rationem, inſpecto Legationis modo, cui, cùm nihil deeſſet, ſolemni ac publicâ pompâ, more regiorum Legatorum, eos excipere ſtatuit, atque eò ſplendidiùs, quò periculoſiore, ac longiore itinere ad Sedem Apoſtolicam primùm venerandam adveniebant. Jubetur Celſus Viterbienſis, Oræ Præſes, Pontificios fines ingreſſis cultum comitatémque adhibere; mittuntur obviàm geminæ Equitum levis armaturæ turmæ, ac eximia Romanæ Aulæ gens, ut major advenientibus Majeſtas: Sed vexatâ Juliani valetudine, tardior erat Romam acceſſus, quem accelleravit Gregorius geminatis tabellarijs, an con-

ſcius

ſcius inſtantis fati ? Acceſſêre tandem XI. Kalen. ad Urbis portas, vario tum eorum, tum Quiritûm ſenſu. Illi ſummopere lætari, recordatione immenſi itineris : ante oculos patere Romam tot votis, tot laboribus quæſitam : jam poſſe frui Religionis Chriſtianæ primario theatro : jam Gregorij vultum habitúmque intueri, ejúſque pedibus advolvi, ac veluti portum tam arduæ navigationis ſubire ; illam eſſe Urbem, quæ olim terrarum Regina, nunc animorum domina, implet famâ & admiratione ſui Orbem terræ univerſum. Quirites verò confluere certatim ad ignoti oris ſpectaculum : mirari, externos támque diſtantes potuiſſe, toties mutato Cælo, ſtupente quodammodo naturâ, & Oceano ſollicito, Romam appetere incolumes, & conſtanter : laudare Japonum pietatem, incuſare aliarum gentium ignaviam : hunc eſſe ampliſſimum Gregorianæ Charitatis fructum ? Quibus temporibus, niſi Gregorij, deſtinâſſe Providentiam inauditam omnibus ſæculis, inexpectatámque Legationem ? Urbem ingreſſi, cùm dimittere comitatum

tum vellent, quo modestiæ exemplo magis innotescerent, tubarum sono, totiúsque Romæ plausu deducti fuêre ad Domum Professam Societatis Jesu, ubi & quieti nox concessa. At interim Gregorius omnis moræ penè impatiens, amore desiderium stimulante, expectare diem, & Ecclesiæ gloriosum, & sibi peroptatum, quo vetera Oracula approbabantur, & Roma tanto spectaculo recreata, suam agnosceret fortunam: Non metu armorum, non spe præmiorum, accedere supplices Populos, Principésque, Romanis olim ignotos & inaccessos, tantùm Ecclesiam, ac Pontificem veneraturos. Affulgente die instructa est legationis pompa, præ alijs ornatissima. Ibant legati Japonici habitu Japonico, gravi & modesto, equis pulcherrimis invecti, Mantius inter duos Archiepiscopos, ac duos inter Episcopos Michaël & Martinus: sequebatur flos nobilitatis: spectabat suis effusa sedibus Roma, & præ spectaculi amabilitate lætitia lacrymæ. Regiam, uti vocant, aulam ingressi, atque ad Pontificium solium ducti, prælatis manu Principum literis, ad

pedes

pedes Gregorij procumbunt, osculáque pedibus infigunt, obsequia Majestati delaturi, quos Gregorius inclinatâ maiestate, quam illi venerabantur, & redditis pro osculis amplexibus, exundante lacrymis gaudiísque vultu, non semel, sed bis singulos recepit in Pontificium sinum, quæ nova charitati species non minùs admiratione Quirites, quàm Japones voluptate affecit. Mox per interpretem Mantius primùm: deinde Michaël exposuêre causas, & momenta legationis; quæ eò spectabat, ut suorum nomine Principum Gregorio, Christi Vicario, ac supremo Ecclesiæ Catholicæ Moderatori, perpetuam ac fidelem obedientiam præstarent; & cùm respondisset Pontifex graviter, sed paucis; ac humanissimè, literas reddidêre, quibus recitatis, habita est latina oratio, à Gaspare Consalvo Societatis Jesu, commemoratâ Regum Japoniæ observantiâ in Sedem Apostolicam & Christianâ constantiâ, tum laudato Gregorij studio in Catholica fide propagandâ, Japoniáque juvandâ: respondítque Antonius Boccapadu-

padulius eorum prædicatâ pietate , quòd veri Numinis cultum professi per Romani Pontificis obedientiam , saluti consuluissent. Post hæc iterum ad oscula pedum admissi; demum confectâ legatione, in Ædibus Vaticanis excepti convivio fuêre à Philippo Boncompagno, unà cum Guastavillano Purpuratis, & Jacobo Boncompagno. Inde à Gregorio acciti, de moribus Jacobo Boncompagno. Inde à Gregorio acciti, de moribus Japoniæ, de progressu Religionis, aliísque interrogati, summam attulêre voluptatem, uti nova, & vera, ac propria narrantes; à quo dimissi, accesêre ad templum Vaticanum, Apostolorum cineres & tumulum salutaturi, ac denique domum reducti sunt, Româ fruente, ac vix credente. Unum tamen defuit spectaculi celebritati, ac lætitiæ; nam semper lætis rebus aliquid inest molesti: præsentia scilicet Juliani, qui tentatus morbo, ac viribus invalidus, domi manere jussus est à Gregorio: privatis, eóque tenerioribus sermonibus recreatus, & aliâ die in Senatum advocandus. Atque ultimum id fuit decus, & gaudium

Grego-

Gregorij morituri: Providentiâ jucundum, ac pæne triumphale mortis genus adornante homini, cujus vita pro Religione, pro charitate, pro æquitate certavit.

Cap. XLVIII.

Mors Gregorij.

SUſceptâ Japonum legatione Gregorius, dum magis ad reipublicæ commoda procuranda incenditur, pergítque omnia ad omnium felicitatem referre, Catholicæ Religionis, pietatíſque firmato & aucto cultu: principibus populíſque Sedi Apoſtolicæ conciliatis: pace inter Chriſtianos compoſitâ: bello in hoſtes Chriſtianorum inſtructo: hæreſibus depulſis: attritis ſcelerum viribus: Concilio Tridentino provincijs inſinuato: Apoſtolicæ Sedis, quà auctoritate aſſertâ, quà jure vindicato, quà cenſu amplificato: Sapientiâ & bonis artibus locupletatis: inſtitutis omnium Nationum Collegijs: annonâ ſuſtentatâ: commendatâ & retentâ in tribunalibus æquitate: optimis moribus ubique vel reſtitutis, vel ſervatis: maje-

majeſtate demùm ac amore, quæ præcipuæ Romani Pontificis dotes eſſe videntur, in eâdem Sede (quod difficillimum eſt) conjunctis, repentè ad perennem gloriam, uti piè creditur, evocatur à Deo.

Aderat anni tempus vernum, ventorum, dierúmque varietate incertum: aderat quoque Chriſtiani tempus jejunij, quod ipſe per ſummam abſtinentiam, nihil ſibi indulgens, exigebat: aderat inſuper graviſſima Octoginta quatuor annorum ætas; & quà alimentorum auſteritate, quà humidis temporibus, ac etiam ſenij frigore, laborare tuſſi cæpit, & diſtillatione, ac demum Non. April. lentiore febri, ac moleſtâ faucium inflammatione; nihil tamen ſolemnis abſtinentiæ, quotidianíque laboris intermiſit; Die autem inſecutò, qui Dominicus erat, peracto ſecretiore in ara Sacro, Pontificij quoque Sacelli ſolemnia, quæ Purpurati celebrabant, religiosè ſpectavit; inſuper poſteriore die Senatum, ſeu Conſiſtorium manè coëgit; veſpere Hiſpanum Oratorem audivit, aliósque cauſarum acta afferentes; ſed adveniente Martis die viribus

M de-

debilior, & fatigatus laboribus, ac etiam morbi molestiâ fessus, quæ acriùs urgebat, quò magis abdebatur, viribus & corpore toto, præter morem languescens, lecto decubuit, ac solemne jejunium aliquantulum remisit, ex imperio medicorum, quibus paruit obsequentior, quò fuerat in retinendâ abstinentiâ constantior; at exortâ Mercurij luce, cùm videretur meliùs habere, quadam remissi jejunij pænitentiâ ducebatur, interrogavítque charitate sollicitante, cui aliena potiùs, quàm sua incommoda, sollicitudini & curæ sunt; an remisisset Juliani Japonis morbus: Hinc Medicis spes. Verùm accedente horâ, quâ ægris viribus adhibenda erant fomenta, accessit quoque Michaël Mercatus, vir doctus & prudens, & Gregorio assidere sollitus. Hic explorato venarum pulsu, & animadverso sudore, quem vocant diaphoreticum, intellexit spiritum labi, emori vires, &, quod extremum est, at præstantissimum seu amicitiæ officium, seu obsequij, eum admonuit imminentis fati. Gregorius hæc decretoria verba excepit constanter

ſtanter, mox novâ quâdam & mirâ vi ſeſe erexit, ac memor, haud minùs decere, Pontificem ſedentem mori, quàm Imperatorem ſtantem, ſedit, Cœlum ſuſpexit, tanquam metam fugientis vitæ, ac approbaturus Deo ultimum mortalitatis, cœpit ſigno Crucis frontem, pectus, & reliqua corporis munire; & quamquam vires deſererent, nunquam eum hæc non modò animi, ſed oris & geſtuum pietas deſeruit. Petijt Evchariſtiam, ſed veriti, qui aderant, ne mors antecederet, cenſuêre oleo ſacro perungendum, quo dum imbuitur, & totus in Deum anhelat oculis, voce, animo, Catholicæ Religionis myſteria teſtificatus, & nunquam intermittens efformare Crucis ſignum, ut qui vicem Chriſti geſſerat vivens, moriens quoque crucem gereret, tranquillè ac ſuaviter expiravit, 4. Id. April. anno ſalutis 1585. relicto ex vita pro teſtamento mortalibus hoc documento: Feliciter eum vivere, ac mori, cujus vita ad aliorum felicitatem ſe compoſuit. Vixit ætate longiſſimâ, proſperâ ferè valitudine, proſperiore ſemper fortunâ, & quod rariſſi-

 mum,

mum, summâ Populorum benevolentiâ, & veneratione Principum, Posteritati optandus admirandúsque. Ferunt (quod tunc sermonibus, postea typis celebratum est (sub idem expirantis momentum, cùm haud morbus innotesceret, sanctissimum Virum è Franciscana familia in confinio mortis versantem, repentè exclamâsse: O ter felicem Gregorium Pontificem, cujus spiritus rectà in Cælum ab Angelis defertur! Sic Gregorij, & vitam adprobavit, & gloriam vulgavit Deus. Sed Romæ ingens luctus, & ubique terrarum dolor, quasi amisso Ecclesiæ Catholicæ, ac Generis humani parente. Primùm omnium lacrymis, vocibus, scriptionibúsque, mox de sublimi loco à Stephano Tuccio insigni Oratore, laudatus fuit coram Purpuratis, justa persolventibus, quæ præter morem ad quinque dies contracta fuêre, instante Sanctiore hebdomadâ, an quia inchoata Romæ pompa exequiarum, in reliquo terrarum Orbe absolvenda erat? nam revera ubique parentatum est ei, qui fuerat omnium parens. Staturâ erat corporis erectâ, & procerâ,

oculis cæruleis, naſo in aquilinum vergente, ſpecie ad venerationem, imperiúmque compoſita. Pontificem amares, Principem crederes; certè Henricus III. Gallorum Rex, dum Pontificum ſigncas inſpicit, palàm dixit; In Gregorij vultu ſe Principis imaginem agnoſcere. Et meritò, nam Gregorius non modò Optimi Pontificis, ſed etiam veri Principis imago fuit Benefaciendo.

LAUS DEO.

INDEX CAPITUM.

20. Cu-

36. *Sco-*

FINIS.